

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.**

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

**Chamier, Daniel**

**Frankfurt, 1627**

Liber decimusquintus, De temporali Papæ potestate

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-914](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-914)



LIBER DECIMVS QVINTVS,

De

TEMPORALI PAPÆ POTESTATE.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS.



ACTIVS disputatum esto de ea autoritate, quam sibi Romanus Episcopus vendicat in Ecclesiam. Nunc & altera, quam idem sibi arrogat in statum politicum, discutienda. Arrogat autem, tanquam prioris appendicem: sed vt facile sit videre esse illi...

II. Lucæ 22: dixerunt Apostoli, Ecce duo gladij hic. Eo dicto, qui in allegorias totam Scripturam pene transformant; inducere sibi in animum, sed & aliis persuadere intelligendas duas potestates, vnam spiritualem, regendam Ecclesiæ: alteram secularem, siue temporalem administrandam Republicæ. Quæ situm autem, vtrum cadat vtraque in vnum eundemq; hominem: an vero sint ita non tantum distinctæ, sed etiam separatae, vt cui temporalis commissa sit, nihil habeat iuris in spiritualem: & contra, qui spiritualem administrat, ad eum temporalem non pertineat. Quartum tamen quæstionum illa alterius erit loci. Hæc autem huius.

III. Papatæ plerique decreuerunt vtrumq; in suo Papa copulari. Quamquam Salmero latius, tom. 13. disput. 12. de Ecclesia. Non enim soli Papæ hoc quicquid est iuris tribuit: sed communicat omnibus Episcopis, Tam sacerdotibus, inquit, quam regibus collata est Ecclesia pastoribus; vt sic regnet Christus in æternum. Atque hoc ipsum serio disputat: qua de re alias viderimus, Deo dante. Sed quia temporalis etiam in Imperatoribus est & Regibus: ideo rursus quæri cœptum: primo, quomodo sit in Papa, directe, an vero indirecte, id est, vt aliis verbis idem exprimam, perse, an per accidens: secundo, in vtro maior, an in Papa, an vero in Imperatore, ac rege. Estque pro variis sententiis varie pronuciatum, prout alij aliis plus minusve aut indullere, aut adlati sunt Romano Pontifici. Itaque triplicia facta castra Theologorum, Canonistarum, Politicorum.

IV. Priores Theologi, ac Canonistæ consentiunt; Papæ autoritatem in rebus politicis summam esse, ac proinde longe longoque maiorem quam in vilo principe. Omnes igitur Principes, ei subesse: non tantum vt adiuuati, aut etiam coërceri possint Ecclesiasticis censuris: sed etiam cogi potius temporalibus; nempe instituendo, destituendoque, & transferendo regna prout expedire iudicari.

V. At Theologi, Pontificem negant, vt Pontificem habere directe & immediate vllam temporalem potestatem: sed duntaxat spiritualem. Indirecte tamen, id est, ratione spiritualis, habere summam autoritatem in temporalibus. Et sensus est; Papam eo ipso quod est Papa, non esse regem, non esse Imperatorem vt possit eadem gerere, quæ regis sunt aut Imperatoris, in eo regno, eoq; imperio: sed posse tamen & regibus, & Imperatoribus vt pro autoritate sua, si ita commodum existimet Ecclesiæ suæ. Quomodo Imperator ipse non est singularum familiarum dominus, eo ipso quod est Imperator, quare non potest Titij, aut Mænij fundos vendere pro arbitrio, quomodo ipse Titius & Mænius, quibus de suo agere licet, quod libet. Nihilominus, si ex vsu sit Reipublicæ, qui præest, non tantum iubebit vendere, sed & ipse addicet, non tanquam dominus, sed tanquam Imperator. Similiter Papa, eo ipso quod est Papa, non potest de Imperio Germanorum, aut Gallorum regno, statuere pro arbitrio: hoc est, tributa imponere, bella indicere, pacem facere: quæ Monarcharum partes sunt. Sed si quando necessitas postulet Ecclesiæ, iubebit bellum suscipere contra Turcas: imo reges à tuo culmine deturbabit, si vel inuites sint, vel noxii Ecclesiæ.

VI. Canonistarum longe senecior sententia. Primo, potestatem iurisdictionis spiritualium & temporalium, immediatam à Deo esse in solo Papa: potestatem vero secularem in Principibus, ad ministerium. Verba sunt Augustini Triumphii. Secundo, Papam vt Papam iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, in rebus tum Ecclesiasticis, tum politicis. Tertio, dominium principum translatum esse ad Ecclesiam, & residere in summo Pontifice, vt Vicario summi & veri regis Christi: & ideo posse pontificem regna iure suo dare quibus voluerit fidelium.

VII. At politici (hoc enim illis nomen patris his annis datum siue à Theologis, siue e Canonistis, siue ab vtriusque & quidem hæresis facta: sic enim Baronius anno millesimo sepruagesimo tertio, §. 13. & Bellarminus in postrema editione suorum operum) neutram sententiam probant: sed docent Romanum Pontificem iure diuino, siue Christi institutione nullum prorsus habere rerum temporalium dominium, potestatemve, aut iurisdictionem, siue directe dicas, siue indirecte: siue absolute, siue respectiue ad bonum spirituale: neque posse supremos principes ob quantumuis crimen suis dominiis temporalibus spoliare. Itaque his nihil commune est cum Theologis & Canonistis, præterquam quod diligenter potestantur se Pontificem agnoscere caput Ecclesiæ: atque in ea re nolle immutatam eius autoritatem in vniuersam Ecclesiam.

VIII. Hæc illi sic disputant in vmbra. Quid vero Papæ? Audiunt libentissimis patientissimisque auribus, in tantum culmen suam extolli Cathedralam. Sic Leo decimus in Concilio Lateranensi sessione 8. concionantem Balthasarem Deltio audiuit. *Ac ceu Leo rex quadrupedum, tu alter Leo hominum non alter Rex tantum, sed rex regum. Et orbis terrarum monarcha esset, alias oues quas habes, quæ non sunt de hoc ovili, ad tuum ovile reduceres, alliceres, reuocares. Accingere ergo gladio super femur tuum potentissime. Nam tu duos gladios habes, spiritualem scilicet & temporalem.* Nec audiunt tantum, ab aliis: sed definiunt ipsi. Non tam accurrate tamen, vt scias, in quam sententiam abeat Canonistarum, an Theologorum: sed tantum recedere à Politicis. Neglectis enim distinctionibus istis, directe, indirecte, absolute, respectiue, vnum pronunciant suum esse vtrumq; gladium. Et merito: nam primo, quomodo habeat, quid interest, dum habeat? Deinde non est tantum inter eas sententias discrimen, vt tantos Principes (nam & principes appellantur) moueat. Et videntur Theologi, verbis potius amoliri voluisse inuidiam, quam re potestatem minuere. Nam siue indirecte, siue respectiue dicant, tamen iudicium totius rei penes Papam relinquunt. Itaque ipse sibi arbitrius est, & quando sua illa potestate vtratur, & quousq; producat. Quare hoc, vt dicebam, neglecto discrimine pronunciant. Gregorius nonus Epistola ad Archiepiscopum Græcorum apud Mattheum Paris in Henrico tertio. *Illud tantum adiicimus, quod vtrumq; gladium ad Romanam pertinere Pontificem ex Evangelica lectione tenemus.* Nicolaus secundus apud Gratianum distinct. 22. c. 1. Romanam Ecclesiam, solus ille fundauit, & super Petram fidei mox nascentis erexit, qui beato æterna vita clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Bonifacius octauus in Extrauagante, Vnam sanctam, de maioriore & obedientia, in hac eiusq; potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem. *Euangelicis dictis instrumur. Nam dicentibus. Apostolis, Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis, Conuertere gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis.*

IX. Definierunt ergo: nec definirunt solum: sed & re implere conati sunt. Nam Bonifacius ille octauus in sui Celebratione ieiunij, publica pompa ostentauit se primo Papam, secundo Imperatorem. Recitat Kranzius Saxoniæ lib. 8. c. 36. *Vtriusque penes se vnum gladij potestatem manere affirmabat: quod ipso apparatu, in eo qui, vt diximus, tum agebatur in vrbe Iubilæo solemniter fertur ostentasse. Primo quidem solenni die in Pontificalibus apparans populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur. Postera, autem die Imperiali habitu, in aula nihilominus Casarea insignis, gladium ante se nudatum iussit deferri, & sedens alta voce testatur, Ecce duo gladij hic. Eundem scripsisse ferunt ad Philippum quartum Francorum Regem in hæc verba, Deum time, & mandata eius obserua. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes.* Augustinus Triumphus art. 7. q. 1. de potestate Ecclesiastica, testatur Papam consecrari vt Sacerdotem: & coronari vt regem: festumque coronationis nunciare omnibus regibus.

X. Hinc toties repetitæ Imperatorum Regumque, non tantum excommunicationes, sed etiam exautorationes: etiam nostro seculo Regum nostrorum. Denique autore Barlaio c. 13. de potestate Papæ, Bellarminus, licet quantum verecunde potuit, & plus etiam quam debuit Papæ autoritati in temporalibus tribuit: satisfacere tamen non potuit ambitioni imperiosissimi hominis, Sixti quinti, qui se supremam in omnes Reges & principes vniuersæ terræ, cunctosque populos, gentes, & nationes, non humana, sed diuina institutione sibi traditam potestatem obtinere affirmabat in Bulla contra Henricum tertium Franciæ regem. Itaque parum absuit, quin omnia eius Bellarmini opera, pontificia censura aboleret. Nimirum indignabatur Sixtus disputari adhuc pro Theologorum sententia, qui sibi vtiliorem credebant Canonistarum.

XI. Hæc igitur cum inter se pugnantés varie Papatæ disputent, tum vero Catholici omnes vno ore, quamcumque potestatem in Politicis Papa exercet, non dicam in Reges, sed & in priuatum quemlibet; meram esse tyrannidem eius, cuius ambitioni, ac multi quidem orbis satisfecerat: quique

LIBER



quereligionis nomine immaniter abutitur ad hanc exfatendam ambitionem, credo sic interpretatus illud Prudentij, *quicquid non possidet armis, religionem tenet*. Itaque à Politicis illis, hoc tantum Catholici differunt, quod atinet ad Ecclesiasticam potestatem, de qua iam satis disputatum.

XII. Scripsere de utroque Papæ gladio, mihi noti siue Theologi, siue Canonistæ, nunc enim vno fasciculo utrosque comprehendam, Augustinus Triumphus de potestate Ecclesiastica, quæst. I. Ioannes de Turrecremata, Summæ de Ecclesia libro 2. c. 113. & seq. Thomas Valdensis, Doctrinalis fidei, tomo 1. libri 2. artic. 3. c. 74. Albertus Pighius Hierarchiæ Ecclesiasticæ libro 5. Nicolaus Sanderus de Visibili Monarchia libro 2. c. 4. Bellarminus de Romano Pontifice libro 5. Et contra Barclaium, tractatu de potestate summi pontificis in temporalibus. Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ libro 10. c. 12. Iacobus Gretserus Apologiæ Bellarminianæ tomo 2. defensione libri 5. Alexander Carerius de Potestate Romani Pontificis, aduersus impios politicos.

XIII. Contra autem ex Politicis Papistis habui, Marfilij Patuini Defensorem pacis Guillelmi Barclai Iuriconsulti, de potestate Papæ, an & quatenus in Reges & principes seculares ius & imperium habeat. Rugeri Vuidrigtoni Apologiæ Cardinalis Bellarmini pro iure Principum. Item Tractatum de Delicto communi, Iuriconsulti cuiusdam anonymi: quem audio esse Senatorem in Parlamento Diuionensi. Ex Catholicis Caluinium, Institutionis libri 4. c. 11. Iunium contra Bellarminum librum 5. de Romano Pontifice. Sibrandum Lubbertum, de Papa Romano lib. 9. Matthæum Sullium de Pontifice Romano lib. 4. Vuitakerum de Pontifice Romano. Petrum Molinæum de Monarchia temporali Pontificis Romani. Ioannem Bedam Iuriconsultum Parisiensem de iure Regum.

## CAP. II.

## Loci Scripturae pro utroque gladio.

I. **P**ugnare Scripturis, ratione, autoritate. Scripturas videamus. Primus locus Lucæ 22. *Ecce duo gladij hic inquit Apostoli. Christus respondet, Satis est.* Hinc Bonifacius octauus concludit utrumque gladium in Ecclesia esse, id est, Romano Pontifice. Quod probat tum ipsa professione Apostolorum: *hic sunt duo gladij: tum Christi responstone, Satis est: non enim nimis est.*

II. Hic vero specimen est Papisticae solertiae: atque id tanto illustrius, quanto pertinacius asseritur à Papa pendere Scripturæ interpretationem. Quid enim reliqui facient; cum ipse ille promus condus iuris diuini tam fœde Scripturas torquet? Respondeo, neque gladios hic vltos esse iurisdictionis vltius: neque hic indicare Ecclesiam: neque *satis est*, vocem esse approbantis. Gladios enim ambos fuisse materiales, Caietanus. *Forse demonstrabant gladios patrie familias illius domus, qui ibidem erant.* Lyranus. *Dicit autem Chrysostomus, quod illi duo gladij erant duo magni cultelli ad scindendum carnes agni.* Maldonatus. *Existimandum non est milites fuisse gladios: sed rusticos potius, ad secundas res necessarias, gladios secum gustasse, quales lanij, & homines rustici solent.* Atq; eiusmodi gladio Petrus Malchi auriculam abscidit, Et confirmatur à mente Apostolorum: qui cum audissent à Domino, vendendam tunicam & emendum gladium; crediderunt se ad prælium vocari. Lyranus. *Non curarunt Apostoli loqui de sacculis vel peris: sed tantum de gladiis, quia erant animati ad defensionem sui magistri, licet postea fugerint timore humano percussit: Imo & à mente Christi.* Theophylactus. *τῶν ἰσθδων τῶν λαρεαλῶν αὐτῶν ἰδου βαλῶνδρ. & ἰκνήδη μὲν χεῖρας.* Inuasionem latrocinantium innuere volens, gladij meminit. Salmero tract. 47. tom. 9. *Sicut de sacculo, & perca corporea loquitur, ita etiam de materiali gladio.*

III. Quod si verum, de materiali gladio utroque loquitos Apostolos, qui sit verisimile per *ἰσθδων* intelligendum in Ecclesia? Et non potius illi ipsum locum vbi tumerant? Nam mens erat, indicare Domino, se non profus imparatos esse ad excipiendam *λαρεαλῶν* illam *ἰσθδων*. Caietanus. *Nec dixerunt, Ecce duo gladij nobis: sed in hoc loco: forse emonstrabant gladios patrie familias illius domus, qui ibidem erant.* Brugenfis. *Apostoli, intelligentes Iesu præceptoris verba propria, responderunt præsto sibi esse duos gladios, ut intelligerent, an indicaret eos sufficere ad resistendum præsentis periculo, nec ne.*

IV. Illud vero Christi *Satis est*, dupliciter intellectum. Iansenius Concordiæ c. 134. *Respondit Dominus, Satis est, aut ironice loquutus, quasi dicat, quia duo sunt, multi sunt, & omnino sufficiunt nobis contra multitudinem que veniet contra nos. Aut simpliciter amputans sermonis progressum, quod videret eos non assequi intentum sensum, quem ob causas dictas, necdum eis explicandum censuit: ut sciam responderit Dominus, satis est quomodo & nos: si quando cum quodam conseruantes, videmus eum non intellexisse, quod dictum est, dicimus, Bene, dimittis.* In posteriori sensu acquiescit Theophylactus, à quo sumpsit, & Caietanus, & Maldonatus, & Salmero, & Lucas Brugenfis.

V. Quis ergo Christianus æquo ferat animo ita illudentem Christianis Episcopum? Sed diuertebat scilicet ad allegorias. Cur ergo, inquam, tam se cure, Euangelicis nos dictis instrui? Quomodo Gregorius bonus, *Euangelica, inquit, lectione tenemus: quasi totidem syllabis legisset.* Atqui Euangelica dicta, Euangelicæ lectiones, non sunt allegoriæ: & hæ sunt potius, magnam certe partem, febricitantium somniationes. Sed nimirum Bonifacius ille hunc tantum volebat suæ causæ prætextum: nam fundamentum in armorum furore potius quærebat: cui tamen Deus maledixit.

VI. Et vero cum rem paulo diligentius repeto, si allegoriis indulgendum, nihil ego quidem causæ video, cur non illam præferamus, qua contra Hildebrandum, id est, Gregorium septimum in hac ipsa causa, Henricus quartus vitur Imperator. Locus est epistola ad Annonem Colonensem Archiepiscopum. *Regnum, ac Sacerdotium, inquit, Deo ne sciente sibi usurpauit.* (Hildebrandus.) *in quo piam Dei ordinationem contempsit, qui non in vno, sed in duobus duo, id est, regnum & Sacerdotium principaliter consistere voluit: sicut ipse Dominus Saluator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui cum diceretur, Ecce, Domine, duo gladij hic: respondit, Satis est, significans hæc sufficientem dualitatem spirituales & carnalem gladium in Ecclesia esse gerendum: quibus omne nocuum foret amputandum, videlicet*

(hinc iam locus est corruptus) *sacerdotale ad obedientiam regis pro Deo, regali vero gladio ad expellendos Christi inimicos Christi externis: & ad obedientiam Sacerdotij interius, omnem hominem docens fore castigandum, ut ita de alia in asiam caritate tenderetur: dum nec regnum Sacerdotij: nec Sacerdotum regni honore priuaretur.* Hactenus ille. Qui & si peccet, cum gladiis mysticos inquirat, pro materialibus, æquæ ac Bonifacius: nulla Scripturæ nixus autoritate, nulla etiam ductus purioris Ecclesiæ exemplo: tamen hoc magis Papa delirat, quod utrumque gladium supponat in Petri fuisse dominici quod neque Scriptura docet: nec interpres vllus aduertit: nec sit verisimile. Is enim mos est, ut singuli milites singulis gladiis accingantur. Ideoque & Petrus postea vno tantum, non duobus vsus est: eique dictum, *mitte in vaginam non gladios, sed gladium tuum.* Itaque Carthusianus in 18 Ioannis. *Horum duorum gladiorum vnum detulit Petrus.* Quod si est, tum quis neget longe esse Imperatoris commodiorem allegoriam: qui ut materialium, sic & allegoricorum gladiorum non vnum, sed duos dominos agnoscat?

VII. Quid? quod Ambrosio incognita hæc politici Ecclesiasticiq; gladij consideratio? Nam ille longe aliter philosophatur. *Lex ferire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti: satis est, dicit: quasi licuerit vsque ad Euangelium: ut sit in lege æquitatis eruditio: in Euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus Dominus: qui cum se posset vlcisci, voluit immolari. Est enim gladius spiritualis, ut vendas patrimonium, emas Verbum, quonuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolat a carnis exuuiis emat ut tibi sacra corona martyrij. Potuit fortasse alius aliter. Et sane vix modum aut mensuram habet hoc allegoriarum studium. Quare, quum mihi Bonifacius, gladios suos ingeminat; cur non ego contra clamen, aliam mentem fuisse Christo? Quod si non à Christi mente; sed à suo furore Bonifacius argumentatur, quis me iubebit illi hæere?*

VIII. Secundus locus illi similis, Ioannis decimo octauo, cum Petrus percussisset seruum Pontificis maximi: *Reconde, inquit Christus, gladium tuum in vaginam.* Ergo, inquit Ioannes de Turrecremata, pertinet dispositio autoritativa gladij materialis aduersus infideles, hæreticos, schismaticos, & tyrannos maxime ad Romanum Pontificem, qui dux & pastor, & pugil est populi Christiani. Consequentiam probat Bernardi, & Bonifacij octauo autoritate. Nam hi obseruauerunt Dominum dixisse, gladium tuum. Hinc conficiunt gladium temporalem esse Petri & successoris.

IX. Respondeo negari consequentiam. Nam gladius hic Petri, nulla erat politica potestas: sed temerarius Petri priuati ardor, ad vindicandum Dominum. Carthusianus. *Eduxit eum de vagina, & percussit Pontificis seruum, ex magno amoris seruire, quo Iesus dilexit præ cateris, volens vlcisci Filium Dei bono zelo, sed indiscretio.* Caietanus in Matthæi 26. & accipere gladium interpretatur propria temeritate vsurpare sibi gladij vsum: & paulo post Petrus dicit non expectata magistri responstone præcipitem vsus esse gladio. Lucas Brugenfis in Matthæi 26. *Fecit hoc Petrus, eodem mentis ardore quo cetera, inquit Hieronymus eodemque zelo quo alius Dominum de sua morte loquutum increparat.* Itaque meruit à Domino reprehendi: Matthæi 26. *Quicumque acceperit gladium, gladio peribit.* Quod quidem nunquam diceret Christus de magistratu, qui suo iure gladium gestasset. Lucas Brugenfis. *Accipere gladium dicuntur, qui accipiunt autoritate propria non datum aut commissum legitime. Ut autem legitime sit commissus, & legitime quis eo utatur ad occidendos alios, tria necessaria sunt: autoritas publica: causa iusta: & iuris ordo. Petro deerat autoritas: nemo ipsi vsus gladij concesserat: non Respublica: non Deus: non Christus filius Dei.* Salmero tract. 17. tom. 11. *Alij probabilius sentiunt, quod non nihil in eo factò, peccati commiserit Petrus. Primo, quia à Christo verbis, & factò sanandi, fuit reprehensus. Deinde quia nec iudex erat, nec à iudice potestatem habebat: ideo propria autoritate assumpsit gladium.*

X. Quid ergo? placet ne hunc gladium esse potestatem politicam? Esto sane: Sed quo artificio tu mihi hæc probes pertinere ad Romanum Pontificem? Hoc exspecto, ut dicat, siue Bernardus, siue Bonifacius, siue Cardinalis de Turrecremata. Qui inquam possit gladius à Petro temerarie, inconsiderate, nulla autoritate legitima, sed priuato motu vsurpatus, significare potestatem temporalem legitime, iureque pertinere ad Episcopum Romanum. Et quidem leuabo onere probandæ consequentiæ à Petro, ad Episcopum Romanum, quam alias nullam diximus: Non exigam etiam rationem allegoriam gladij ferrei, ad autoritatem magistratus. Sed hoc saltem vigebo, quomodo possit qui gladius nullo iure à Petro euaginatus est: sed temere, sed inconsiderate: sed neque autore Republica, aut Deo, aut Christo, euincere gladium iure, legitimo siue humano, siue Diuino in manibus Romani Episcopi.

XI. Itaque inexcusable est audacia Bernardi, & Bonifacij, qui gladium tuum, vrgent: & interpretantur, cuius tu educendi potestatem habes legitimam. Cum debuerint potius possessiue exponere: quem tu nunc habes, siue proprium, siue commodatum. Incertum enim utrum. Lucas Brugenfis in Matthæi 26. *Suum, quem ferebat, manu brachiove sinistro: Neque enim verisimile est, gladio accinctum fuisse: quod eorum est, qui magistratum, aut militiam profitentur. Quod gladium habuerit Petrus Chrysostomus cum suis, fuisse putat ex eo, quod machauerat agnum Paschalem. Cyrillus vero in Ioannem scribens, fuisse putat ex consuetudine regionis, ad abigendas feras alias, nocumtas: si quis inuaderent noctu sub dio cubantes.* At hos gladios qui nescit, ut libere emi à Machæropola, & ideo à quolibet suos dici: ita educendi ius non esse nisi à Magistratu? Tanti interest non quis dicat, sed quid dicat attendere: ut ne facile præcipites feramur in deum. De duce, & pastore, & pugile populi Christiani, nihil dico: non enim est necesse nunc denuo in controuersiam reuocare Episcopi Romani potentiam in omnes Christianos.

XII. Tertius locus Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.* Cardinalis de Turrecremata exponit pasceri, ex Glossa, terrena subsidia, si necesse est subditis prouidendo: aduersariis resistendo, & errantes corrigendo. Id autem exigere in Pastore, non tantum spirituales potestatem: sed etiam temporalem. Item ex Innocentio 3. capite, *Saluta de Maioritate & obedientia:* qui se potuisse Imperatorem increpare asserit ex hoc loco. Conclusio. Ergo ex cura pastoralis, quam Romanus Episcopus habet super omnes fideles cuiuscumque status, dignitatis, vel conditionis, statim datur intelligi, quod apicem



apicem non tantum spiritualis potestatis: sed etiam temporalis aliquomodo habere dicendus sit.

XIII. Respondeo, illud Pasce oves meas. Primo nihil ad Papam. Esse enim dictum Petro Apostolo. Secundo, nihil ad potestatem secularem. Et rillo in eum locum, Apostolatus, inquit, et renouans dignitatem: at hæc nihil habet temporale. Tum quia ipsi Papista dicunt his verbis datum fuisse Petri clauis: At clauis regni caelorum, non sunt clauis regni terrarum. De quo huc quicquam faceret, ad eam potestatem, tum omnino directe, & ab absolute promitteretur, non autem aliquomodo; vt loquitur Cardinalis Salmero in Acta tract. 28. Negat ex hoc loco, & aliis locis concludi hanc questionem Quia, inquit, illa verba, Tu es Petrus, & super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam. Et confirma fratres tuos. Et pasce oves meas: Et fiet vnum ouile & vnus pastor, in spiritualibus tantum locum habent.

XIV. Tertio; illud de prouidendis terrenis subsidiis, alienum esse ab hoc loco nisi forte intelligas de officii charitatis; quam etiam pastor debet sine Christianæ caritatis. Itaque facile vident consequentiam esse nullam: Nam si non sunt hæc humana subsidia, curæ pastoralis esse nullam: Nam si cessaria iurisdictione temporalis: Imo etsi pertineret ad eam curam, tamen non inferret iurisdictionem: alioquin hæc ipsa communicanda esset omnibus Christianis. Rursus, cum de terrenis subsidiis suppeditanda agitur, non tantum illud addendum erat; si necesse est, verum etiam aliud si fieri potest. Nam necessitatem metiri solemus ex parte rei, cui suppeditatura erunt, at hanc potentiam ex parte rei, quæ suppeditatura esset. Ac tum necesse erit vnumquemque respicere suæ vocationis modulum. Sic in primitiua Ecclesia forte dicat quis, necesse fuisse aliquam autoritatem, quæ coereret Imperatores, ne in eam seuerent, sicut tandem factam Constantini tempore: At si Apostolos, si Apostolicos viros respicias, tum id fieri non potuisse: statim dicent ipsi Papista. Quid ergo, inquam? Illud, Pasce oves meas, nonne erat nos hodie, constare h's iisdem verbis suam sententiam dicimus, etsi nulla sit pastoribus iurisdictione secularis.

XV. Quarto; admitto, ex hac pasce oves autoritate, ius esse Episcopo incedendi etiam Imperatores. Nam Pastorum etiam hæc partes sunt: quomodo Paul. 4. posterioris ad Timotheum: Increpa in omni patientia & doctrina Et ad Titum: Increpa illos dure. Sed negatur hæc consequentia. Nam neque Timotheus aut Titus vllam habebant iurisdictionem temporalem: ac ne Paulus quidem, qui tamen Pontificem tam seuerè increpauit, Act. 23. Cur non etiam Innocentius potuisset Imperatorem durius tractare, si merebatur, vt fas sancta seueritate Ecclesiastica?

XVI. Sed hanc eundem locum Bellarminus tractat aliter. Per ea verba data est Petro facultas omnis, pastori necessaria ad gregem tuendum. Est autem ea triplex. Circa lupos, vt arceat quacumque ratione potest: Circa arietes, vt si quando gregem lædant coramibus possit recludere, ac prohibere ne gregem lædant cornibus, possit recludere, ac prohibere ne gregem vltetius præcedant. Circa oves reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula. Hinc tria conficitur argumenta. Primum: Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete sit lupus, id est, hæreticus, poterit eum pastor arcere per excommunicationem: & simul iubere populo ne eum sequatur, ideoque priuare eum dominio. Secundum, si potest pastor arietes furiosos ouile destruentes secludere: Princeps autem est aries furiosus: Ergo poterit eum pastor secludere ab Ecclesia, vel redigere in ordinem ouium. Tertium: Potest pastor arcere debet omnes oves ita pasceri, vt eis cõuenit: Ergo omnibus Christianis ea iubere, atque eosdem ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur: debent autem Reges seruire defendendo Ecclesiam, puniendoque hæreticos & schismaticos. Ergo potest Pontifex iubere, vt id faciant: ac cogere etiam, per excommunicationem, aliasque commodas rationes.

XVII. Mitto iocularia Arietes ita petulosos, vt destruant gregem: & vel secludere arietes, vel redigere in ordinem ouium. Quæ Bellarminum vix fuisse apud se, significant. Mitto, à Domino, cum hæc Petro diceret, nullos arietes distinctos ab ouibus. Hæc, inquam, missa facio, & Bellarmino condono. Concedo etiam pastori concessam facultatem omnem necessariam pasce oves ouibus, & lupis arcendis, & arietibus coerendis. Sed addo, hanc potestatem, quacumque tandem est, limitandam ipsa officij pastoralis natura. Sic in his gregibus, vade hanc metaphoram sumpsit Spiritus Sanctus, paterfamilias omnem dat potestatem pastori suarum ouium pasceandarum, & ab omni iniuria tuendarum: sed quæ pastori competit: non item quæ pastori facultatem excedit. Et templi gratia, obnoxie sunt oues militum latrocinio, quibus nisi equali militum numero resistatur, sine dubio pereunt oues suo domino: & tamen non dat Dominus pastori facultatem conscribendorum militum, vt suum gregem tueatur. Item ad aëris iniuriam arcendam, necessitate sunt caule; nec tamen pastori potestatem dat caularum ædificandarum, sed ipse sibi hanc curam referuat. Et si conferuos Pastor habeat, non concedit ei potestatem Dominus vendendi, abdicandive illos. Multa possunt similiter considerari. Sic in Repub. etsi Rex pro regi omnem concedat potestatem necessariam conservandæ prouinciæ: tamen excipit impositionem tributorum: institutionem destitutionemque officiariorum, & similia nonnulla, quæ excedunt proregis mensuram.

XVIII. His positis, dico, necessariam Pastori potestatem metiendam ex eius officij sine. Et dico, duos esse fines, qui politiam distinguant ab Ecclesia. Vnus est, viuere sobrie, iuste, pie. Alter, tranquillam ac quietam vitam degere. Et hunc quidem Paulus adscribit authoritati Politice prioris ad Timeth. 2. illum vero, gratiæ Dei salutari, secundo ad Titum: ac proinde Ecclesiæ, in qua sola illuxit illa gratia. Nisi mauius illud ex 4. ad Ephesios, datos Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, id est, potestatem Ecclesiasticam, siue spiritualem, ad congmentationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad adificationem corporis Christi: donec euadamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adultæ Christi: vt ne simus amplius pueri, qui fluctuamus, & circumferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea, veteratoria ad insidiose fallendum versutia. Sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adulescamus in eum per omnia,

qui est caput, nempe Christus. Cum igitur sint ita suis finibus distinctæ potestates, dico, non esse eadem vtrique necessaria. Et quemadmodum potestati politice non sunt ea data, quæ necessaria sunt ad congmentationem Sanctorum: sic neque potestati Ecclesiasticæ, quæ necessaria ad tranquillam & quietam vitam.

XIX. Itaque ad primum argumentum respondeo: primo lupos, non esse tantum hæreticos; sed etiam infideles: & inter hos maxime tyrannos, qui Ecclesiam armis sanctis persequuntur: Et generaliter omnes qui gregem vltue falsa doctrina: Matth. 7. Cauete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Iam vero pastoribus concessa esse, quæ necessaria sunt ad lupos arcendos, intelligendum primo, vel vniuersaliter de omni luporum genere: vel specialiter de quibusdam. Illud negatur. Nam tyrannos vi aperta agentes, nulla tua potestate arcere possunt pastores: sic Nero, sic Maxentio, sic Iuliano, sic ne Constantio quidem villa in vilo pastore potestas erat resistendi. Quin potius diserte Dominus ad Apostolos: Ecce mitto vos, vt oues in medio luporum. Vt oues, inquit, hoc est, primo, vt destitutos omni ratione vestri tuendi. a's qd' a' d' u' a' t' o' r' e' m' i' t' t' o' r' u' m' l' u' p' o' r' u' m' m' e' d' i' o' i' n' m' e' d' i' o' l' u' p' o' r' u' m' . Quemadmodum, inquit Theophylactus, fieri non potest vt nihil patiantur oues in medio luporum, sic & vos inter Iudæos. Euthymius. Ego qui omnia possum, mitto vos vt mordeamini, ac dilaniemini, neq. vlescamini, aut manus repugnantes obiciatis. Secundo, non vt pastores Nam etsi intra Ecclesiam, ac reliquis fidelibus comparati Apostoli, pastorum locum teneant: tamen quando contra infideles, ac tyrannos negotium, tum oues sunt, hoc est, non magis armati quam oues. Nullam ergo eis Christus concessit politicam potestatem.

XX. Quod si specialiter quodam Ecclesiasticæ potestatem, puta hæreticos: respondeo, omnem pastoribus concessam potestatem eos arcendi, non quacumque ratione, sed tantum Ecclesiasticæ: sic Petrus compescens Simonem Magum, Act. 8. Argentum tuum pereat, qui donum Dei existimatis pecuniam acquiri: non est tibi pars, neq. fors in negotio: cor enim tuum non est reatum in Dei conspectu. Et Paulus ad Titum 3. Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuicium.

XXI. Quare illud Bellarmini: Poterit pastor Ecclesia eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos. Partim concedo, partim nego. Nam in Principem infidelem, nego vibrari posse excommunicationem: sed tantum in hæreticum, tum cum declaratur hæreticus. Secundo, concedo posse iuberi populo, ne principem sequatur. Sed nego posse priuari dominio in subditos principem. Nam illud sequi, intelligendum Ecclesiasticè: nempe ne populus Principi iubenti discedere à vera fide, obtemperet: vnde nullam sequi priuationem dominij, certum: Tum exemplo: Nam olim cum maxime sua plebes Episcopi monebant, ne sequerentur, Constantium Ariarium, aut Iulianum Apostatam, nemo tamen illis dominium abrogauit. Tum vero etiam præcepto. Nam Paulus, etsi sciret suo tempore Imperatores esse lupos, tamen iussit orari pro eis: imo & obediri: & quidem hæc causa; quia illi gladium gestant ad terrorem malorum, ad Roman. 12. & instituti sunt ad pacem & tranquillitatem vitæ fouendam.

XXII. In secundo argumento, posse à pastore Ecclesiæ arietem gregi noxiu secludi, & redigi in ordinem ouium: hoc etiam concedo, sed ratione Ecclesiastica. Ergo secludi per excommunicationem, ergo redigi in ordinem ouium, per seiam penitentiam, & absolutionem. Sed redigi in ordinem, nullam infert priuationem dominij. Quia etsi dominus sit iure sui principatus, tamen non ideo non est in ouibus. Nazianzenus oratione 17. ad Præfectum. ὁ δὲ οὐκ ἐστιν ἐξουσία τοῦ ἀρχιεπισκοπικοῦ ποιμνίου. Scio te esse ouem mei gregis. Sic nimirum Ambrosius Theodosium secludit: apud Theodoretum historiæ lib. 5. cap. 18. Græci codicis; ἄρχυ τὴν δεσπὴν ἢ ὁ Θεὸς, ὁ τῶν ἁλῶν δεσπότης, ἀὐτῶν γὰρ οὐκ ἐστὶν ἐξουσία τοῦ ἀρχιεπισκοπικοῦ. Subito vinculum, cui Deus ille omnium dominus, superne calculum suum addidit. Sic Innocentius tertius, Arcadium Imperatorem, vitus est, ὅτι οὐ καὶ ἐξουσίας διαγάγει, τῆς ἀρχιεπισκοπικῆς Θεοῦ ἐξουσίας, quod patris tempore persecutionem suscitasset contra Ecclesiam Dei, deturbato Christo, substitutoque Atalacio. Ἐπὶ καὶ αὐτῶν τῶν ἀρχιεπισκοπικῶν καὶ ἱεροπολιτικῶν συνόδων, ἀπὸ τοῦ ἀρχιεπισκοπικοῦ ἀπείρωτο. Te atque illam, vxorem, nimirum, à communionem diuino sacrorum mysterorum arceo: ἐὶ δὲ καὶ βίβαν ὁ ἀπὸ ἀπειρώματος ποὶ ἐκείνου καὶ τὸν ποὶ ἐκείνου, ἢ τὴν ἀποστατικὴν τῶν τῶν ἀρχιεπισκοπικῶν διατάξιν, ἰσθὶ δεπρεcor, vim cuiquam inferte tentetis ad dissoluendam hanc Apostolicam constitutionem, eritis in posterum vniuerso sacro casui tanquam publicani, & pagani. Sic legas lib. 8. Iuris Græco-Romani. Nec aliter Synchius Andronicum, Epistola 56. Ἀδρόνικον τὸν Βυβονικὸν τὸν κακῶν Πενταπόλεως ἡγετῆρα καὶ φερόμενον, καὶ αὐτὸν ἡγετῆρα, καὶ τὸν ἀρχιεπισκοπικὸν αὐτῶν ἀποστατικῶν, καὶ ἡγετῆρα ἐξουσίας καὶ καλοῦτος Χερασιῶν. Andronicum Veronicensem, malo Pentapoleos fato & nauum, & educatum, & elatum, atq. etiam patria magistratum mercatorum, ne quis aut confect, aut dicat Christianum. Possunt & alia ex epla colligi.

XXIII. Nam quod contra Barclaium c. 33. vget similitudinem Bellarmini: non solum excludi à grege arietem furiosum, sed alligari, recludi, vt ne possit esse dux gregis: ideoq. & principem Christianum destruentem Ecclesiam, allegari vinculis excommunicationis; & includi in angulum dum non finitur regere amplius populos Christianos: primo est ridiculum, cum ponatur pro fundamento similitudinis, id quod nunquam accidit: imo & dux gregis appellatur, qui nullus est. Non enim nisi per metaphoram: alioquin nullum illi ius tale: quod tanquam suum venditatem possit. Secundo, cum quæ similia sunt, non vndiquaque sint similia, tum consequentia nulla est necessaria, quæ dicitur ἀποστατικῶς, ad ἀποστατικὸν dicitur, nisi aliunde constet eam esse naturam, quæ est subiectum ἀποστατικῶς.

XXIV. In tertio argumento, eoncedimus, eum, qui præditus est potestate Ecclesiastica, posse singulis Christianis iubere ea quæ secundum suum statum tenentur præstare: nec tantum iubere, sed etiam cogere; si modo & iustionem & coactionem intelligamus Ecclesiasticam. Sin autem politicam, negamus vlli omnino pastori id licere. Exempli gratia; negamus licuisse Paulo cogere incestuosum apud Corinthios, ad dimittendam noueram, aut multa pecuniaria, aut carcere, aut exilio, aut mortis pœnas: sed tantum excommunicatione. Quod & factum. Non enim credendum suis vllis partibus Paulum defuisse.



## CAP. III.

## De Capite Ecclesie.

**I.** Nec plura habent à Scriptura. Sequuntur Rationes. Prima Pighij: sed apud eum inuolutissima. Ego bona fide explicabo. Si vnum esse oportet totius Ecclesie caput. Ergo laici omnes, id est, Imperatores, Reges, Principes, regna, imperia, ciuiles communitates, & respublice etiam, debent ei capiti subesse. Probatum consequentia: primo, quia sunt membra eius corporis, nempe Ecclesie. At omnia membra debent subesse capiti. Secundo, quia vt necesse est membra Ecclesie omnia communicare inuicem in his, quæ ad fidem religionemque Christi, & finem salutis æternæ, & cœlestis patriæ assequenda pertinent: ita necesse est omnia regi vnus capitis habentis & imperio, quod singula membra in hac communiōe contineat, singulis sua præscribat officia, eorundem rationem possit exigere, excessus corrigere, turbas sedare, & pacem tranquillitatemque conseruare.

**II.** Probatum autem antecedens. Quia nulla potest in vnum multitudo contineri, nisi colligatur vinculo ordinis ad vnum, & per vnum aliquod principans: quod suum cuique officium præscribat ac moderetur. At Ecclesia est multitudo quæ debet in vnum contineri. Ergo necesse est vt per ordinem ad vnum contineatur. Tum autem, confirmatur argumentum à minori ad maius. Nam si id verum est, etiam in exigua multitudine, vnus ciuitatis, viciniae, domus: multo magis in infinita multitudine totius Ecclesie, ex nullis non gentibus, nationibus, & populis diffusis in orbem terrarum vniuersum, atque alioquin nullo vinculo colligatis. Rursus si verum est in multitudine vnita ad exiguum tempus, multo magis in Ecclesia, quam necesse est conseruari à sui initio ad finem vsque seculi.

**III.** Respondeo: quia per vnum caput, vnum aliquem hominem intelligunt, non Christum. Primo negari antecedens, vt cap. 7 lib. 10 huius tomi. Ad probationem primam: concedo multitudinem colligendam vinculo ordinis ad vnum: sed non tamen necessario vnum hominem: sed vnum finem, vnum bonum, aut quid simile. Quomodo fidelium per vniuersum orbem multitudo colligatur ad vnum finem, vitam æternam: imo vno ordine: nempe fide, spe, charitate. Quid? quod & vnum habet caput, Christum, cuius spiritu animatur, legibus dirigitur? Porro argumentationes à maiori ad minus, per se non sunt difficiles, & ex dictis solutionem accipiunt.

**IV.** Secundo in consequentia ambiguum est. Nam subesse ei capiti Imperatores, Reges, Principes, intelligas vel eos qui Reges sunt, & Principes, & Imperatores, quia etiam fideles sint, subesse debere, quatenus fideles, vel eosdem subesse quatenus tales sunt, nempe Imperatores, Reges, Principes. Priori sensu concedi potest argumentum, si vnicum caput supponitur. Nam & nos sic credimus ab obedientia Sacerdotibus præstanda, in rebus sacris, neminem excusari, quocumque vilius dignitatis præteritu. Sed hoc Papistis non sufficit. At altero sensu, negatur consequentia: nam ne ciuis quidem priuatis, quatenus ciuis, subest Sacerdoti: sed tantum quatenus Christianus, hoc est, in rebus sacris.

**V.** Ad primam probationem facilis responsio eadem distinctione. Ideoque apparet fallacia accidentis. Quomodo cum & Aspasia, & Conno Socrates operam dabat, siue dubio suberat Aspasia, qua studiosus rhetoricæ: & Conno, qua musices. Et accidebat eundem eloquentiæ & musicæ esse studiosum. Nec erat consequens, quia idem rhetor erat ei musices, idem etiam discipulus Aspasia: ab Aspasia vtrumque discere. Sic nulla cogit ratio, vt qui fidelis est & Imperator, idem Episcopo subest, & quatenus fidelis: & quatenus Imperator. Sicut est agrotans subest medico, & idem est Imperator, non tamen quatenus Imperator subest medico.

**VI.** Secundæ probationi, distinctione etiam satis fit. Nam & in communiōe continere, & singulis siue præterbere officia, & eorundem rationem exigere, & excessus corrigere, & turbas sedare, & pacem tranquillitatemque conseruare, quis potest legibus Ecclesiasticis: potest & alius legibus politicis. Et hæc distinctio Episcoporum, magistratuumque officia discernit. Nec potest Magistratus has omnes partes exsequi, vsus autoritate Ecclesiasticæ: nec contra Episcopus, assumpta politica persona.

## CAP. IV.

## De Christi regno temporali argumenta Papistarum.

**I.** Ratio secunda est Augustini Triumpho artic. 7. quæst. 1. Omnis Vicarius Christi habet potestatem regalem & sacerdotalem. At Papa est Vicarius Christi. Ergo habet potestatem regalem & sacerdotalem. Probat maior, quia Vicarius Christi habet omnem Christi potestatem. Hæc autem fuit non sacerdotalis tantum, sed etiam regalis.

**II.** Respondeo, primo negari minorem: neque enim posse esse Christi Vicarium, qui in se nihil habeat Christi: imo qui sit Antichristus, vt Secunda hinc controuersia demonstrabit.

**III.** Secundo negatur maior. Nimirum, quia falsum est in Vicario omnem esse potestatem, quæ in eo est cuius sit Vicarius: neque id vnquam visum: nunquam auditum. Franciscus à Victoria Relectione 4. quæ est de Potestate Papæ & Concilij, cum sibi obiectum esset, Vicarium posse quicquid potest principalis. Ad quintum, inquit, respondetur, quod verum est, quod Papa est Vicarius Christi, & Legatus Christi, & nego consequentiam. Non enim infertur, est Vicarius Christi, ergo potest quicquid potest Christus, nec vnquam aliquis tribuit hanc licentiam Papa. Est enim proprium hæredis, siue successoris. At Christo nullus fuit vnquam aut hæres, aut successor: nedum Papa. Et probatur non esse in Vicario omnem potestatem, quia omnes Episcopi sunt Vicarii Christi: & tamen non habent omnem Christi potestatem: nam, vt reliqua taceam, saltem non sunt totidem Papæ. Nec vero iis vindicatur vel à Papistis potestas regia.

**IV.** Tertio quod subsumitur de Christi regia potestate, distinguendus necessario Christus est: qua Deus, & qua Mediator. Nam qua Deus est, cer-

tum profus est fuisse semper, & futurum in æternum summum absolutumque Dominium in vniuersas creaturas; id est, perfecte regiam potestatem. Sed nihil id ad præsens institutum: Christi enim sic, qua Deus est tantum, nemo vllum vnquam finxit esse Vicarium vnū: & reapse falsum est in quocumque vnquam hominem translatum fuisse id vniuersale dominium: neque adeo ipsi Papistæ sunt ausi suum Papam hoc titulo decorare.

**V.** At Christum, qua Mediator est, habuisse regiam potestatem controuersia est, in qua ne ipsi quidem Papistæ consentiunt inter se, nedum cum Catholicis. Disputarunt Armacanus in quæstionibus Armeniorum lib. 2. c. 15. & 16. Thomas Valdensis Doctrinalis fidei tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 76. & 77. Ioannes de Turce remata summa de Ecclesia lib. 2. c. 116. Almainus de potestate Ecclesiastica, c. 8. Gregorius de Valentia in 3. Thomæ disput. 1. q. 2. punct. 6. Vasques in 3. Thomæ disp. 87.

**VI.** Regnum non eadem ratione semper vsurpatur: alias enim spirituale est, siue cœlestis; nimirum quod non tantum est à cœlo tanquam causa, sed etiam in cœlestem modum, alienum à terrena ratione regum: habens scilicet subditos, quorum conuersatio fit in cœlis. Et hoc modo regem esse Christum, etiam in quantum est mediator, prolixè concedunt, quicunque sani sunt in fide. Verum ne hæc quidem pars atinet ad hanc controuersiam.

**VII.** Superest itaque regnum temporale, siue terrenum: non tam ab origine, nam hoc etiam cœlitus institutum est, quam à forma regiminis, quæ tota est in obiecto, & subiecto temporali, terrestrique: rationem etiam gubernandi remotā ab illa cœlesti: & in homines exseritur, quatenus sunt habitatores terræ, & in terra cœtus societate copulati. Et hæc ipsa iam quæstio est, vtrum Christus quatenus Mediator habuerit penes se potestatem regiam terrestrem. Afferunt alij: alij distinguunt, negant alij: Catholici sunt in negantibus. Qui affirmant, disputant in hunc modum.

**VIII.** Carerius c. 5. lib. 2. ab vnione hypostatica deducit argumentum: Sicut ea quæ sunt hominis, necessario propter eam vnionem diuinitati tribuuntur: ita necessario quæ sunt diuinitatis humanitati adscribi. Itaque dominium, quod est diuinitatis tribui etiam humanæ naturæ, adeo vt dominium illud diuinum, etiam dicatur humanum.

**IX.** Respondeo hunc iurisconsultum ridicule Theologum agere: & inepte balbutire de communicatione Idiomatum. Nec enim verum, ea quæ sunt diuinitatis, tribui humanitati, aut contra quæ humanitatis, Deitati. Sic nunquam leges Deitatem Christi crucifixam; aut humanitatem infuitam. Nunquam leges, inquam, neq; in Scripturis, neque in Patribus. Imo Patres contra Eurychianos constanter disputarunt manere, vt naturas sic proprietates distinctas. Quid ergo? Nempe istud verum. Quæ sunt vnus naturæ, dici de toto Christo ab altera natura denominato. Deus est crucifixus: Ille homo est ab æterno. Ratio satis manifesta. Quia per nomina, hominis, & Dei in concreto, vt loquuntur, tota persona significatur, cui aliquid competit. At per nomina humanitatis, diuinitatis, quæ abstracta dicunt, indicatur respectus secundum quos id competit, vt qui hominem immortalem dicit, aliud dicit, quam qui hominis corpus immortale. Nam illud verum: hoc falsum; illud significat suppositum, in quo inuenitur aliquid secundum quod dicatur immortale: At hoc significaret illud aliquid. Falsum autem hominem dici immortalem secundum corpus: sed tantum secundum animam.

**X.** Iam vero in hac distinctione; illa qua Deus, qua homo; ita personam Christi significant, vt simul connotent respectus varios in eadem persona, id est, diuersas naturas, secundum quas aliquid de Christo dicimus. Itaque est quidem verum, hominem illum esse dominum totius mundi: sed non est verum dominium illud tribui humanæ naturæ, quod est proprium diuinæ. Quanquam ego maledicere, Christum, qui incarnatus, quam qua homo est: quia non tantum alteram eius naturam volui: sed potius ipsam Mediatoris officium, propter quod incarnatus est: & secundum quod nego vllum esse illi regnum temporale. Quanquam, non esse *το λὸ τὸ διὰ μέσου*, libens concedo.

**XI.** Triumphus arguit à Natiuitate, à Conuersatione, à Passione, à Resurrectione. Carerius etiam alijs argumentis. Illa videamus. In incarnatione apparuisse ait hanc temporalem potestatem: quia natus sit ex Tribu Iuda secundum carnem, ea autem erat regalis. In Conuersatione, quia Matthæi 17. dixit, filios regni, esse liberos à tributo: Hieronymus autem eodem loco dicit, Dominum, & secundum Spiritum, & secundum carnem fuisse filium Regis. In Passione; quia intrans Hierusalem, regalem reuerentiam suscepit ab Apostolis sterneribus vestimenta, & ramos arborum in via. Vnde Zachariæ 9. *Ecco Rex tuus venit tibi, mansuetus, sedens super asinam, & pulum eius.* In Resurrectione, denique potestatem regalem exeruit, in Diaboli expoliatione, quando multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo.

**XII.** Verum nego quicquam ostentatum à Christo fuisse, quod redoleret regnum temporale. Natum ex tribu regia non imus inficias. Sed natum ne negent etiam ex ea Tribu, vnde sceptrum erat ablatum. Genesios 49. *Nō auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Siloh.* Ideoque non tantum iussisse reddi Cæsari, quæ essent Cæsaris: & fugisse, cum videret futurum, vt in regem eligeretur, & recusasse iudicium hereticæ familie: sed etiam negasse regnum suum esse ex hoc mundo. Imo & assumptissime formam non hominis tantum, sed etiam serui. Nempe vt omnibus modis ostenderet, se regiam suam originem non trahere in argumentum regis potestatis in seculo.

**XIII.** Quod autem dixit, filios regum esse liberos à tributo, quod nec Carerius omisit, vt à se probaret, non debere solui didrachmum: ne longius abeam, ipsi Papistæ sic exponunt, vt nihil habeat commune cum regno temporali. Caietanus, *Appellatione regis, non solum proximus rex, puta Herodes: sed supremus potius, puta Cæsar, intelligitur: ita quod liberi sunt filij regis, ab ipso vlla contradictione habetur, quod filij supremi regis sunt liberi: ac per hoc, ego qui sum naturalis Filius æterni regis, qui vniuersum regit, sum liber. Maldonatus, Christum, à minori ad maius argumentari: quasi dicat, si filij regis terreni, illi tributum non debent: ego qui Dei Regis regum, Filius sum, nulli regi debeo. Nec aliter Iansenius. Iansenius non aliter Lucas Brugenis: non aliter Salmero. Præterea non qui se filium dicit esse regis, ideo statim regem esse pronuntiat, sed tantum se iure debere esse regem, si nihil noui accideret. At qui hoc noui acciderat, quod prædecessores Christi, jus regum amiserant, vt diximus. Itaque vt ostenderet reapse se regem non esse, tributum soluit.*







C A P. V.

De Regno Christi, argumenta Catholicorum.

I. Contra arguunt Catholici, Primo, ex Ioannis 18. Christus, Regnum meum, inquit, non est ex hoc mundo. Chryostomus. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστὶν ἐκ τούτου κόσμου. Quod eousq; Pilatus tenuerat, purgat, nempe tyrannidis suspicionem. Cyrillus, Liberavit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cesaris in Iudæa seruare debebat. Et hoc iam vehemens argumentum. Si enim fuisset temporale regnum Christi, non potuisset purgare. Res enim ipsa clamasset cum Iudæis Ioannis 1. 9. Quicumq; se regem facit, contradicit Cesari.

II. Sed rursus Chryostomus, ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστὶν ἐκ τούτου κόσμου. Nonne est ex hoc mundo regnum eius? Est vero. Quomodo ergo dixit non esse? Non quod non hic imperet: sed quia superne habes imperium, neq; humanum, sed humano longe maius & magnificentius. Distinguit ambiguitatem Non esse de hoc mundo dici, vel quasi non regnaret in hoc mundo: vel quasi non regnaret, vt est solitum in mundo. Illo modo non dixisse Christum: sed isto. Paulo aliter Augustinus, sed in eadem sensum: Hic non ait, regnum meum non est in hoc mundo sed non est de hoc mundo. Quid ergo est, non esse de hoc mundo? Chryostomus diuinum esse. Augustinus, Quod est enim eius regnum nisi credentes in eum, quibus dicit, De mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo. Tractatu s. in Ioannem, Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostes visibiliter debellando sed rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesq; perducatur.

III. Caietanus, Regnar eliqua sunt de hoc mundo, vt partibus eorum: constat enim ex dominis, gradibus, statibus, affectibus & effectibus transitorij mundi. Regnum vero Messia non constat ex his, & ideo dicitur non esse de hoc mundo. Nam neq; per fidem regnum eius est de hoc mundo: neq; quod vere & proprie regnum eius est (quod scilicet in fine mundi manifestabitur) constat ex his transitorijs. Villagudus, ita dicit Christus facit loquentem, Audio Pilate, Iudeorum clamores, & falsam accusationem, agnoscoque me affectare regnum: sed non tale, quale carnales isti somniant, nec quale calumniatores isti me affectare criminantur. Nam regnum meum non est de hoc mundo: hoc est, regnum meum non est Cesareum & terrestre, sed cæleste & spirituale. Nihil ergo quod affecto, Cesareum laedere potest: Nam huius mundi regnum subsistit manu militari ferro gladio, seruis ac subditis corporalibus, castris, oppidis, propugnaculis, arcibus, vicis, villis ac prædijs: at spirituale regnum subsistit, stultis huius mundi, carnis impotentia, afflictionibus, iustitia, æquitate, bonitate, gaudio, spiritu, & vita æterna. Regnum mundi exercitu instructo, & gladio defenditur: cæleste vero defenditur verbo, veritate, & sanguinis effusione. Militis enim regni cælestis, suo sanguine veritatem ipsam obsignant, pro qua mortem oppotunt & quo plures sanguinem effundunt, eo illustrius & amplius redditur regnum spirituale. Huius regni cælestis rex, pro oppidis & habitaculis corda credentium habet: qua non armorum machinis, sed verbo Dei, remissione peccatorum, vita fide, iustitia, bonitate, atque adeo vita æterna reguntur ac defenduntur. Vide Ianfenium Concordiæ c. 12. Salmeronem tomi 10. tract. 26. Lucam Brugens. in 18. Ioannis.

IV. Carerius non dicit, inquit, regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo, electione scilicet mundana, aut successione in regno. Salmero etiam disp. 12. de Ecclesia, tom. 13. Verus & germanus sensus est: Regnum meum non trahit originem de hoc mundo, sed de cælo & in cælum tendit.

V. Consideremus ergo, quoniam placet, regni originem, & eiusdem naturam seorsim. Quæro igitur vt uim credant hic ita negari regnum Christi esse ex hoc mundo quoad originem, vt tamen naturâ esset mundanum, an vero ita esse non ex hoc mundo, vt neque mundanum. Nam hoc quidem nos contendimus: nempe regnum Christi sic totum esse è cælo, vt sit etiam totum spirituale, siue cæleste. Illud autem esse è cælo mundanum, negamus. Ratio certa, quia hoc modo non purgasset suspicionem affectatæ tyrannidis. Nam regnum mundanum de cælis esse dicitur, quum eius constitutio à Deo est immediate. Atqui Principes perinde habent quoquomodo sibi principatus eripitur. Sic etia David electus esset à Deo, erat tamen Saul inuisus. Item Iehu regno spoliavit Ioram filium Achab. Vt ergo rite purgaretur suspicio, oportuit Dominum docere, non tantum se non esse ab hominibus electum: sed etiam non esse à Deo electum ad regnum temporale. Confirmatur autoritate interpretum, qui diserte non originem tantum describunt, sed etiam naturam huius regni, longe longeque alienam à temporali. Præterea Christus, vt probaret suum regnum non esse de hoc mundo, usus est argumento sumpto à natura regni, non ab origine, Sic ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certarent pro me, ne traderer Iudæis. Hoc, inquam, non est aut ab electione, successioneve, aut aduersus eam: sed est ab natura: ita enim comparata sunt regna huius mundi, vt armis vtantur, & vim vi repellant. Cum ergo negat suum regnum ita esse, vt vim sibi illatam, sui subditi opposita vi propulserit: eo ipso ostendit profus alterius naturæ esse suum regnum à regno huius mundi. Itaque Carerius, Salmeroque infeliciter agunt Theologos.

VI. Secundum argumentum Catholicorum: Nullum regnum temporale, siue huius mundi est æternum. At regnum Christi est æternum. Ergo regnum Christi non est temporale, siue mundanum. Maior per se nota: nam tempus & æternitas opponuntur. Assumptio probatur, Lucæ 1. Regnabitque super domum Iacobi in æternum, & regni eius non erit finis. Psalm. 89. Et ponam in seculum seculum sedem eius, & thronum eius sicut dies cæli. Daniehs septimo. Et potestas eius æterna, qua non auferatur, & regnum eius non corrumpetur.

VII. Tertium argumentum, Psalm. 2. Ego autem ordinavi regnum meum, super Sion montem sanctum meum. Sic Augustin. interpretatur Ecclesiam: quam montem appellat propter eminentiam & firmitatem. Concordat author Commentariorum in Psalmos, qui Hieronymo tribuuntur. Item Arnobius, Lombardus, Id est, super Ecclesiam de Iudæis, qua dicitur mons sanctus, quia prius recepit radios solis, ut montes prius suscipiunt radios solis.

VIII. Respondet Carerius: Primi vtriusque regi factam in eo Psalmi mentionem. Spirituales quidem verbis iam citatis, at temporalis cum dictum, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Secundo, etia eo Psalmo non esset facta mentio nisi vnius spiritualis: tamen non sequi nullum esse temporale, quia sufficit istud ex alijs locis colligi.

IX. At ego, ad primum omnibus illis verbis idem regnum significari spirituale. Augustinus, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Hoc iam temporaliter secundum susceptum hominem, qui sacrificium sese obtulit pro omnibus sacrificijs, qui etiam interpellat pro nobis, vt ad totam ipsam dispensationem temporalem quo pro genere humano facta est, referatur quod dicitur, Postula à me, vt scilicet gentes nominis Christiano copulerentur, atque ita à morte redimantur, & possideantur à Deo. Dabo tibi gentes hereditatem tuam: quas possideas ad earum salutem, & que tibi fructificent spiritualiter. Et possessionem tuam terminos terræ. Idem repetitum est. Didymus in Glossa ordinaria. Mandatorum obseruatione, & in Deum fide, Dei hereditas efficitur aliquis. Hefychius ibidem. Postulat ob carnis submissionem gentes, quia per fidem dominatus est in vniuersa terra. Tertullianus contra Marcionem libri 5. cap. 17. Apud illum sunt & diuitia hereditatis in sanctis, qui eam hereditatem ex uocatione nationum repromisit. Postula de me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.

X. In secundo responso, sumit suo periculo nimium securus, ex alijs colligi regnum Christi temporale, etia non ex isto Psalmo. At nos contra constanter, neque ex hoc Psalmo, neque ex vilo alio Scripturæ loco.

XI. Quartum argumentum: Si aliquod fuit Christo regnum temporale: Ergo aut Iudaicum, aut Gentile. At non Gentile, neque Iudaicum. Ergo nullum. Non Gentile: nam neque bello partum, neque electione delatum, neque hereditate traditum. Nullum autem regnum temporale acquiritur, nisi his modis. Non Iudaicum: nam primo etia esset Christus ex stirpe regia, tamen ab ea regnum erat ablatum iam pridem: deinde, si esset: ergo nihil illud ad Gentes, id est ad Ecclesiam pertinere. Penique huc peculiariter illud referendum, Regnum meum non est ex hoc mundo. Quia trahebatur in suspicionem Christus affectati regni, non Romanorum, sed Iudeorum, quod erat sub Romanis. Cum igitur mens sit Christo purgare hanc calumniam, necesse est intelligi, nullum eius esse inter Iudæos regnum temporale. Hoc argumentum vtget Gregorius de Valentia puncto 6. quæstionis 22. disputation. 1. in tertiam Thomæ.

C A P. VI.

De Subalternatione potestatum politica, & Ecclesiastica.

I. Tertia ratio apud Bellarminum. Omnis superior potestas imperare potest inferiori. At potestas Ecclesiastica est superior, ciuili autem inferior, quando vtraque est pars eiusdem Reipub. Ergo potestas Ecclesiastica potest imperare potestati ciuili. Maiorem supponit per se manifestam, itaque non probat.

II. Minorem vero argumentis confirmat tribus. Primum est à subordinatione finium: Quæcumque potestas finem habet subordinatum fini alterius potestatis, ea est inferior. At potestas ciuili habet finem subordinatum fini Ecclesiasticæ potestatis. Ergo ciuili potestas, est inferior Ecclesiastica. Probatur assumptum: Quia felicitas temporalis, est finis potestatis ciuili. At felicitas spiritualis, finis est potestatis Ecclesiasticæ. Ille autem non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet ad felicitatem æternam. Probatur autem maior ex Aristotele, c. 1. primi Ethicorum: quia ita subordinantur facultates, vt subordinantur fines. Est vero hoc argumentum etiam apud Cardinalem de Turrecremata.

III. Secundum à eiusdem corporis membra omnia sunt connexa, & dependentia vnum ab alio. At Reges & Pontifices: Clerici & laici sunt vnius corporis membra, nempe vnius Ecclesiæ. Ergo sunt alij aliis connexi: & alij ab alijs dependentes, vel igitur Reges & laici dependent à Pontificibus & Clericis, vel contra Pontifices & Clerici, à Regibus & laicis. At hoc non quia non recte asseritur spiritualia pendere à temporalibus. Ergo illud potius verum, nempe Reges & laicos pendere à Pontificibus & Clericis.

IV. Tertium. Quæcumque potestas tenetur administrationem suam mutare ad alterius commodum, ea inferior est. At terrena potestas suam administrationem, si impediatur spirituale bonum, tenetur mutare ad Ecclesiasticæ commodum, etiam cum detrimento temporalis boni. Ergo potestas ciuili est potestati Ecclesiasticæ subiecta.

V. Respondeo, superiora inferioraque dici, cum alijs rationibus, tum præcipue duabus ad hanc materiam pertinentibus. Dignitate, & subiectione. Dignitate, vt cum in Republica superiores sunt literati homines, hominibus, seu vobis, vt cum in terum natura Leones superiores sunt Tauris. Subiectione, vt Princeps superior subditis. Medicus ægrotis: Vir-vxor: Pater liberis. Itaque priori sensu conceditur præcipui Syllogismi minor: Nam re vera potestas spiritualis longe superior est potestate seculari. Quia certum, spiritualia præferenda semper corporalibus. Sed negatur maior. Neque enim quæcumque sic est superior potestas imperat inferiori. Neque medicus futuri, neque Iurifconsultus sartori. Neque Imperator Regi, & similia plurius. Imo hac ratione quilibet presbyter superior est quolibet magistratu. Nec tamen quilibet Sacerdos magistratu imperat.

VI. Et autem nugatoria illa Bellarmini limitatio, quando vtraque est pars eiusdem Reipubl. Nam aut vniuersaliter, aut nunquam potestas Ecclesiastica dignior est potestate ciuili. Quia ea dignitas pendet ab vtriusque natura: quæ non variatur pro locorum diuersitate. Sic superior, hoc est, dignior est quicumque Presbyter, etiam Imperatore Turcarum. Ratio, quia quæcumque spiritualia sunt, digniora sunt carnalibus, & Prebyterium spirituale est semper, at Imperium Turcæ nunquam non carnale. Alioquin non esset ea dignitas Sacerdotij nisi per accidens. Huc referenda finium diuersitas: nam finis Ecclesiasticæ semper est cælestis, at finis Turcici imperij terrestis. Neque finis cælestis tantum præstantior est sine temporali inter Christianos absolute, & sua natura, deo que etiam sine temporali Imperij Turcici.







## CAP. VII.

## De Perfectione Ecclesie.

I. Argumentatur postea Bellarminus à Perfectione Ecclesie: idq; dupliciter. Itaque quarta ratio esto: Quicquid est necessarium Ecclesie ad finem suum obtinendum, id esse debet in Ecclesia. At potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus est necessaria ad obtinendum Ecclesie finem. Ergo potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus esse debet in Ecclesia. Probatur maior. Quia omnis Respublica bene ordinata, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum obtinendum, est Respublica bene ordinata, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum obtinendum. Ergo Ecclesia habet omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. Probatur minor: quia alioqui possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem.

II. Respondeo primo in genere hoc argumentum non esse ad Thesin. Queritur enim, vtum Papa habeat vtumque gladium. Hic autem concluditur de Ecclesia. Atqui Papa, non habet quicquam commune cum Ecclesia. Deinde etsi esset in Ecclesia tanquam Episcopus Romanus, tamen nihil ad eum magis pertineret quam ad quemlibet Episcopum, puta Eugubinum: cum Episcopatus vnus sit, cuius in solidum à singulis pars tenetur.

III. Ad Syllogismum respondeo negati minorem. Nam si potestas vtendi, disponendi que res terrenas est necessaria Ecclesie ad obtinendum suum finem. Ergo absq; ea potestate Ecclesia nunquam obtineret finem suum. At hoc falsum. Nam Ecclesia tempore Christi obtinuit suum finem: quis enim contra dicat, quin iniurius sit in Christum? Tum autem pater, nam finis Ecclesie est salus animarum: Itaq; si habuit in se quicquid est necessarium ad animas perducendas ad salutem, ergo habet quicquid est necesse ad finem suum. Habuit autem: nam exempli gratia, Iosephus, Virginis maritus, qui obiit ante Dominum, saluatus est. Eadē ratio Ecclesie post Christum, quamdiu fuit sub Imperatoribus. Ethnicis: sub quibus omnes concedunt, & re ipsa manifestum est, non habuisse facultatem disponendi res temporales: alioquin non fuisset passa tot tantasque persecutiones. Eadem rursus ratio Ecclesie post Ethnicos Imperatores. Non enim habuisse eam facultatem patet primo à postremis annis Constantini, cum inclinauit non nihil in Arrianos, ac Athanasium male tractauit. Sed sub Constantio, & Iuliano res manifesta.

IV. Opposuerat Barclaius illum statum primitiue Ecclesie sub Ethnicis. Bellarminus instat. Primo fuisse tum in Ecclesia non multos quidem, sed tamen aliquos Principes, puta Philippum Imperatorem, Reges Lucium, & Donaldum. Secundo, etiam si nulli fuissent, tamen non defuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus principum, & dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesie membra, vel filii effici vellent. Tertio: in ipso principio, cum Apostoli ipsi administrarent Ecclesiam, fuisse multos diuites, de que eorum diuitiis Apostolos disposuisse, statuentes vt ex iis ministros Ecclesie sustentarent.

V. Verum hoc tergiversari est, non disputare. Nam quid sibi voluerit Bellarminus, cum diceret necessariam esse potestatem vtendi rebus temporalibus, satis apparet ex confirmatione: Quia, inquit, Principes alioquin hæreses fouerent, & religionem euertent. Vnde necesse est, eam potestatem huiusmodi intelligi, quæ impediatur ne principes hæresin foueant, vel religionem pessundent. Et hanc si non habet Ecclesia: non habebit ex mente Bellarmini omnem potentiam necessariam ad suum finem obtinendum. At ego dico nihil à Bellarmino proferri, quo probetur hæc potestas fuisse in Ecclesia.

VI. Ad primum ergo licet fuerint alioqui principes in Ecclesia, tamen primo non ostendit suam ipsos potestatem habuisse Ecclesie. Quod erat faciendum. Nam cum thesis in controuersiam venerit, oportuit docere Philippum, Lucium, Donaldum de facto præbuisse sese ponendos deponendos ex autoritate Episcoporum: vel saltem Episcopi Romani. Nam alioquin, si ex eo vult id concludi quod Christiani fuerint, debeant autem Christiani principes hoc modo subiicere se, petit principium. Secundo, etsi id supponeremus ita factum, non tamen satisfaceret argumento. Nam si est Ecclesia, Respublica bene ordinata, & perfecta, & sibi sufficiens ad suum finem, tum id oportet intelligi & semper quamdiu fuit Ecclesia, & vbicunq; locorum fuit. Alioquin, partim perfecta, & sufficiens, partim imperfecta & insufficientis. Quis autem non absurdissimum iudicet, fuisse Ecclesiam perfectam & sufficientem in Britannia regnante Lucio, & imperfectam Romæ sub Marco Aurelio, & Commodio, quos Imperatores vidit Eleutherius Romanus Episcopus cuius temporibus existitisse fertur Lucius? Rursus quis admittat Ecclesiam fuisse perfectam & sufficientem sub Philippo, & imperfectam, aut insufficientem sibi sub Constantino, Constantio, Iuliano?

VII. Ad secundum, primo mera est petitio principij, supponens quod est in controuersia, neque de facto ostenditur. Deinde nihil ad rem. Nam *αὐτὸν ἄλλοι* partium argumenti, vt dixi, ostendit Bellarminum existimare tum demum perfectam, sibi que sufficientem Ecclesiam esse, cum potest impediunt principes, ne hæresin foueant, aut religionem pessundent. Atqui tum temporis, etsi haberet Ecclesia potestatem Principum temporalia disponendi, si fierent sui filij: tamen quia re vera nulli erant eius filij: Ergo actu eam potestatem non habebat. Et ideo non poterat impedire, quominus Principes non hæresin, sed idololatriam fouerent, & religionem pessundarent. Non erat ergo tunc temporis perfecta, sibi que sufficiens. Aut si erat, certe non est ea perfectio, & sufficientia metienda Bellarminiano modulo. Tertio, quid si ad Constantini, & Constantij tempora recurramus? Nam erant hi Imperatores Christiani: Et tamen ne tum quidem potuit impedire Ecclesia, ne hæreticos fouerent, ac religionem pessundarent. An etiam tunc non actu habebat nam potestatem? Enimvero, quo mihi diuitiæ, si non conceditur vt? An vero non erat sibi sufficiens? An potius sufficientia aliter censenda? Hoc certe potius.

VIII. Ad tertium. Fateor fuisse diuites in prima Ecclesia. Sed de eorum diuitiis Apostolos disposuisse, concedere non possum. Nam neq; do statuisse, vt ex iis ministros Ecclesie sustentarent. Scio doquissē, hortatos etiam

esse, vt qui acciperent spiritualia, ne grauarentur dare temporalia. Sed hoc statuti nomine donari non facile patior. Alioquin quilibet hodie prædicans ad populum diceretur statueret de bonis eorum quos docet liberales esse sine in pastores, siue in pauperes. Quæ certe nimia esse *κατὰ χριστιανισμὸν*. Deinde, vt de autoritate Romani Pontificis supra Reges: Atq; diuites erant, non reges, non magistratus, sed priuati. Quid rursus ad argumentum, in quo ponitur perfectio, & sufficientia Ecclesie: Et quidem ad occurrendum principibus fouentibus hæreticos, aut pessundantibus religionem? Nam certe etsi docerent Apostoli debere à suo grege Pastorem sustentari: tamen nulla illis erat potestas cohibendi aut ludæos tum furentes aduersum Christianos, aut Neroem primæ persecutionis autorem.

IX. Ad minoris Confirmationem, respondeo, primo cur putet Bellarminus magis esse contra perfectionem Ecclesie, si non possit comprimere Principes: quam si non possit compelescere Episcopum Romanum. Nam huius autoritatem cum sic extollunt, & supra principes, & supra vniuersam Ecclesiam, & supra Concilium, tum certe nihil omnino relinquunt, quo obuiam eatur ei malum Ecclesie inferenti. Nunc maxime cum abiit in ventos illa quorundam, quasi constantia, qui saltem in casu hæreseos subiiciebant concilio. Nec enim satisfacit Gretserus, confugiens ad infallibilitatem Papæ, primo quia hæc chimæra est, non aliquid in rerum natura, qua de re actum lib. 3. tom. 1. Secundo quia hanc infallibilitatem illi tantum ad doctrinam coercent. Nam in cæteris rebus, maxime quæ sunt facti, concedunt posse errare. Atqui Bellarminus in principe id culpat, etiam cum Episcopatus vendit, Ecclesias diripit. Quæ mala à Papis timenda nemo negauerit, & experientia iam docuit in non paucis. Esse autem facti, nemo non videt: nam iidem tamen in Thesi Simoniam damnant.

X. Secundo: Etiam si principes foueant hæreticos, & euertere conentur religionem, tamen non deesse Ecclesie, quicquid ad eius finem consequendum est necesse. Nam & Ethnicis Imperatores religionē euertere conati sunt, annos ferme trecentos, idq; omnibus modis. Tum etiam Christianorum nonnulli hæreticos fouerunt, vt Constantinus extrema ætate Arianis non nihil fauere visus est, & post eum Constantius aperte, totoq; conatu. Atq; illud factum, tum cum Ecclesia esset sanctissima, hoc vero etiam, cum florentissima. Deniq; ne Papa quidem habet quo suam tucatur Ecclesiam, aut Hierosolymis, aduersus Turcam: aut in Moscouia, aut apud Sinas, aut alibi: ne quidem ad portas suas, in Britannia, in Germania.

XI. Ratio manifesta. Quia etsi Ecclesie finis sit salus animarum: non tamen hoc sensu, quasi, non assequatur finem suum, nisi omnes animæ saluentur: alioqui nunquam factum esset, vt oblineret finem suum, quod est absurdissimum. Sed vt saluentur per eius ministerium, quæcunq; saluandæ sunt. Habere ergo in se quicquid necesse est ad animas saluandas, intelligendum ex parte eius: quomodo sol habet quicquid necesse est ad illuminandum orbem. Alioquin certum nonnulla requiri extrinsecus, ad salutem eorum quos Ecclesia vellet saluari, quæ non sunt in eius potestate. Vt, exempli gratia, securitas à persecutionibus. Etsi enim multas animas persecutio quasi eripit Ecclesie, quæ verisimiliter saluarentur, si ea nulla esset: nulla autem esset, si id esset in potestate situm Ecclesie: tamen nunquam in Ecclesia positum fuit, vt liberaret ipsa sese ab externis persecutionibus. Imo ne quidem, vt nullæ essent hæreses, vnde magna semper fuit animarum strages. Et habuit nihilominus Ecclesia in medijs persecutionum furoribus, in hæreseon grassantium impudentia: habuit, inquam, quæcunq; animas ad salutem perducere possunt, veritatem Fidei, Spei constantiam, Charitatis sinceritatem: & vt verbis vtar Apostoli, 6. ad Ephesios, *πνευματικῶν ἔργων, resistere in die mala, atque omnibus confectis stare*. Hanc potestatem vere habet Ecclesia: & dum habet, non est verendum, ne non assequatur finem suum.

XII. Et hæctenus quidem de minore. Sed est etiam fallacia in maioris confirmatione. Nam Respublica, vel *κοινὴ* dicitur status ille temporalis, qui est in hominum societate gubernanda, vt pacate tranquilleque viam degant: quomodo *ἡ πόλις* vt ita dicam, *ἡ ἐκκλησία*. Et hæc ratione verum est, Reipubl. necessariam esse potestatem vtendi rebus temporalibus. Sed aliquando *ἀνεξάρτητος* Respublica sumitur pro quacunq; hominum societate, & sic etiam Ecclesiam comprehendit. Verum esse omni Reipublicæ, sic nominatæ, necessariam potestatem vtendi rebus temporalibus, hoc vero falsum. Et hæctenus ratio quarta.

XIII. Ratio quinta sumitur ab eadem perfectione. Si potest qualibet Respublica perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reip. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam deponere eius principem, & alium instituere, quando aliter non potest se defendere ab eius iniuriis. Ergo, multo magis potest spiritualis Respublica imperare temporali Reip. sibi subiectæ: & cogere ad mutandam administrationem, & deponere principes: atq; alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.

XIV. Respondeo ad antecedens. Imperari dupliciter, vel vi aperta, vel iure. Porro nullam Rempublicam posse alteri Reip. imperare iure. Itaq; nunquam factum. Sed factum sæpe tractatu, id est, mutuis conventionibus & pactis, vt inter se Respublice sua negotia componerent, & accommodarent sese aliæ aliis. Alias autem nullus Rex vnquam ab alio rege audacius quicquam postulauit, quin eadem opera vim pararet apertam. Hæc autem vis, tam est aliena ab Ecclesia, quam nox à die: tenebræ à luce.

XV. In consequente autem est petitio principij. Nondum enim probatum, temporalem Rempublicam spirituali esse subiectam. Nec debuit tamen tam facile supponi. Itaque consequentia nulla. Nam si Respublica Reipublicæ alienæ, nullo iure imperare potest, multo minus Ecclesia Reipublicæ. Nam hæc Respublica, vel aliena est, vel Christiana. Si aliena, fateor Bellarminus non subordinari, ideoq; neque subesse Ecclesie. Si autem Christiana, huic Ecclesia subest, vt suo loco docebimus: & diserte Optatus Ecclesiam esse in Republica docet, non contra Rempublicam in Ecclesia.

De vi autem aperta, quid opus est quicquam mouere?



CAPVT VIII.

An tolerari debeat à Christianis Rex infidelis, aut hæreticus.

I. Sexta ratio. Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatem: At iudicare, an rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis. Ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.

II. Probat primam propositionem, his argumentis. Primo, si non licet eligere, neque tolerare. Probat antecedens, quia Deuteronomij 17. prohibetur populus Israeliticus eligere Regem qui non sit de fratribus. Probat consequentiam, qui eiusdem periculi & damni est eligere non Christianum, & deponere. Secundo. Non tenentur Christiani, imo non debent, cum evidenti periculo religionis, tolerare regem infidelem. Probat esse periculum evidens, quia plebs componit se ad exemplum regis. Probat non debere tolerare. Quia quando ius diuinum, & ius humanum pugnant, debet seruari ius diuinum, omisso humano. At seruari veram fidem & religionem, ius est diuinum: vt autem hunc illumve regem habeamus, iuris est humani. Tertio, si vxor fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando iste non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, prioris ad Corinth. 7. Ergo potest liberari populus Christianus à iugo regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem. Ratio consequentiæ. Non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed alquanto maior.

III. Hæc vero fax est seditionum, scaturigo paricidiorum, lerna malorum, quibus hisce multis annis Anglia tentata est: sed tentata tantum. Deo protegente, regiaque capita presentibus periculis eripiente. At nostri Gallicæ theatrum iam ter misere cruentatum duorum proximæ regum nostrorum sanguine. Sic enim ratiocinati sunt paricide. Non esse tolerandum Christianis regem incommodum Ecclesiæ. Itaque deponendum. Quod si non possit iudicio solenni: tamen ipso facto qui dignum se exhibuerit depositione, cenferi depositum: ac proinde non amplius regem, sed tyrannum. Ideoque iure occidi: id est, tolli quacunque possit ratione. Quos furores si nulla alia reuinceret ratio, certe tam immania coram hoc sole patrata scelera abunde debent hominum animos abominatione replese. Viderint homines. Deus certe non dormit. Ego ad argumentum vigilo.

IV. Formam reprehendebat Sibrandus, ob terminorum multitudinem. Gregorius negat esse quatuor terminos: eo modo, quo Dialectici de terminis loquuntur, quando argumentum quatuor vel pluribus terminis constare dicant. Imo, inquam, verum illud Polybij lib. 4. *Ἄνοια κατὰ κρείσσιν τε δὲ καὶ ἐν τῷ πλείω πλείω ὁρᾷ. Amentia est cum malitia coniuncta, si quis putet cum ipse oculos nictatione obnubat, ne alios quidem oculos vti.* Quis enim non numerat terminos quinque? Primæ propositionis duos. Totidem secundæ, neque enim idem est Papa, & Catholicus: non idem iudicare, an rex pertrahat ad hæresim, & non tolerare regem infidelem aut hæreticum. Denique in terra, quæ est vice conclusionis, non est idem iudicare regem deponendum, quod prius, iudicare vtrum inducat in hæresim. Et non *αὐτὸς ἐπιμύει?*

V. Sed ad rem. Tres nobis propositiones exhibentur: & secundæ ac tertiæ facilius negotium. Itaque priores expediant. Secunda ponit, pertinere ad Pontificem, cui est commissa religionis cura, iudicare, vtrum princeps populum attrahat in hæresim. Distinguendum dico: primo, vtrum solum Pontificem dicat, an hunc inter alios. Deinde, vtrum Pontificem Romanum, an quemlibet. Nam si vel quemlibet Pontificem (nam Pontifices sunt omnes Episcopi) aut etiam non solos Pontifices, dicat, nihil agit: al oquin sequeretur, aut cuiuslibet Christiani, aut certe cuiuslibet Episcopi, ius esse Imperatoris Regisve deponendi: quod credo Bellarminum nolle. Nec lauce est in Thesi. Sin autem dicat Romanum: hoc vero nos negamus, qui scimus non esse huic soli religionis commissam curam.

VI. Tertia propositio concludit, Pontificis esse iudicare regem deponendum, vel non deponendum. At hoc nos negamus vel esse verum, vel sequi ex præcedentibus. Nam apud ipsos Papistas in vfu est, Ecclesiasticos iudicare de priuatis, vtrum sint hæretici, nec ne: qui tamen negant suum esse hostia iudicatos hæreticos, morte multare: tum enim solent a mandare ad brachium seculare, vt loquuntur. Cur non similiter, si maxime concederemus Romani Episcopi, aut etiam eius vnus esse pronuntiare de hæresi regis, tamen negemus eiusdem esse pronuntiare deponendum principem? Nihil enim vetat alium de reatu pronuntiare, alium de pœna. Quomodo medicorum est pronuntiare de lepra in singulis personis: at non Medici, leprosos segregare à communi societate, sed magistratus.

VII. Venio ad primam propositionem, quæ negat licere Catholicis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si conetur subditos trahere ad suam hæresim, vel infidelitatem. At hoc ego dico valde inconsiderate prolatum. Primo enim distinguenda fuerunt regna, siue Respublicæ. Nam aliæ sunt simpliciter monarchicæ; aliæ vero non simpliciter. In illis tota Maiestas est penes vnum à quo regitur, vt ita dicam *ἁπομονικῆς*, adeo vt non possit aut institui aut destitui à subditis. Cuiusmodi Regnum est Gallicæ, & fortasse alia. In istis vero Maiestas ita est penes vnum, vt tamen & poni & deponi possit: vt in Polonia: vt etiam Venetiis, in qua Ducem vocant, & si quæ alia exempla dari possunt. Deinde, ipsi Catholici distinguendi, vel enim totum corpus Reipubl. in eis est; vel pars duntaxat. Quod si Respub. sit non absolute monarchia, & penes Catholicos autoritas ponendi deponendiq; magistratum, etiam summum: tum vero nolim contendere: imo credidim non licere tolerare magistratum vllum, nisi i. leum, aut hæreticum. Ratio manifesti, quia deponi debet magistratus qui nō suo pleno iure eam dignitatem possidet, cum est Reipubl. Non potest autem magis, quam cum est infidelis, aut hæreticus, & populum pellicit in suas partes. Sed id sum fit, nullum in eam rem ius est Ecclesiasticum, aut Ecclesiæ, sed mere politicum: eatenus tamen Ecclesiæ, quatenus *κατὰ τὸν συμβεβηκός* in vnum coaluerunt Respublica, & Ecclesiæ.

VIII. At si Catholici non habeant apud se maiestatem Reipubl. est, effi-

cient partem tantum, & quidem minorem, vel si ea Respublica sit mere monarchica: tum vero necesse est tolerari summum magistratum infidelem, vel hæreticum, etiam pellicientem populum in suas partes. Ratio certa, quia nullus maior defectus quam pot. itatis. At nulla potestas plebi in sum magistratum absolute Monarcham, nulla item minori parti populi in totam Rempublicam. Itaque sola restat patientia, solæ ad Deum preces.

IX. Hoc vltimè docet Nam quia Israelitæ nullum ius habebant ponendi deponendive regem, nunquam etiam apud eos quæquam attentatum est eiusmodi: ne tum quidem, cū religioni Rex erat perniciosus. Sic Ieroboam, etiam decem totas tribus auertisset, non tantum à domo David, sed etiam à cultu Dei, quia tamen Rex fuit constitutus, non est deinceps deturbatus, etiam non defuerint Prophetæ, qui eius Idololatricam vehementissime damnaverent, primi Regum 13. & 14. Nec actum aliter cum eius successoribus. Imo nec Salomon, cū auerfus est ad Idololatricam, non est toleratus. Filius etiam Roboam, & Roboami Abiam, & alij non pauci. Nec aliter Christiani, qui & Ethnicos manifeste furentes tolerarunt. Et post Ethnicos, etiam hæreticos, Constantinum, Constantium, Valentem, alios: imo & Iulianum Apostatam. Neq; auditum vllum contra exemplum, nisi cum aut tyrannidem suam prouexit Romanus Episcopus, aut populus etiam Christianus in Leonomaniam degenerauit.

X. Occurrit Bellarminus, & de Christianis tolerantibus Ethnicos respondet, primo tolerasse, quia deerant vires temporales ad eos deponendos. Secundo, licuisse non tolerare: & probat, quia prioris ad Corinth. 6. iubet Paulus constitui à Christianis novos iudices caularum temporalium, ne cogentur causam dicere coram iudice persecutore. Sicut autem potuerunt iudices noui constitui: sic & noui Principes, Regesq; si vires adfuissent.

XI. Sed prior responsio magnam iniuriam facit Christianis, quasi eorum patientia similis esset patientiæ, quæ hodie in proverbium abiit, Lambardorum qui patiuntur, cū obniti ne queant. At illi contra protestabantur. Tertullianus ad Scapulam. *Christianus nullus est hostis, neq; Imperatoris: quæ scilicet à Deo suo cõstituit, necesse est, vt & ipsum diligat, & reueretur, & honoret, & saluū velit, cum toto Rom Imperio.* Apologetici c. 20. *Nos pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternū, Deum verum, Deum viuum. Et post, Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitæ illis prolixam, imperiū securum, domū quietam, exercitus fortes, Senatū fidelem, populū probum, orbem quietum, quæ acuatq; hominū & Cesaris vota sunt.* Iustinus Apologia 2. *Θεὸν ἰδοὺ μόνον ἀποσκυῖν ἡμῶν ὁ θεὸς ὁ ἀληθινὸς καὶ ἰσχυρὸς καὶ ἀκατάληκτος βασιλεὺς καὶ ἀρχὸν τῶν ἀστυνομιῶν καὶ ἀρχὸν τῶν ἀστυνομιῶν, καὶ ἰσχυρὸν, καὶ τῆς βασιλείης δυνάμει καὶ σὺ φερον τὸν λογισμὸν ἡμεῶν ἐν ἡμῶν, Nos solum Deū adoramus: ac vobis rebus in aliis latè i. seruimus, quos Imperatores ac principes hominū esse profiteamur: precamurq; vt cum imperatoria potestate etiam temperantem mentem habeant. Audin' tu Christianos fauentes cupientesq; Imperio, Imperatoriq; Audin' diligere? Audin' leges seruire? Quod qui potest esse, si non est ex animo? Sed & preces pro iis ad Deum concipere? Et hoc non ex animo. Aut qui ex animo, si non tolerabant, nisi ex defectu viuum? At si deerant vires, ad rebellionem, ad seditiones, ad excutiendum iugum: certe non deerant ad non orandum: ad non sollicitandum precibus Deum, pro bono non Imperij tantum, sed etiam Imperatorum, id est, persecutorum.*

XII. Secundo, quomodo deerant vires? Nam & numerus erat immensus. Tertullianus ad Scapulam, *Tanta hominum multitudo, pars pene maior ciuitatis cuiusq; in silentio & modestia agimus.* Quasi diceret, si vellemus, possemus tumultuari. Nam & alij longe pauciores non fuere modesti. At nostra modestia eo magis cõmendatur, quod nosti ùm fit numerus tantus. Idem in Apologetico & quidem disertius capit 37. *Si & hostes exertos, non tantum vindictæ occultos, agere vellemus, deesset nobis vis numerorū & copiarum? Plures nimirum, Mauri & Marcomanni, ipsiq; Parthi, vel quantacumq; vnus tamen loci & suorum finium gentes, quam totius orbis. Externi sumus, & vestra omnia repleuimus, vrbes, in uilas castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissetus, etiam impares copijs, qui tātibenter trucidamur? si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere. Potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius diuorij inuidia aduerus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominū in aliquem orbem remoti sinum abrupissetus à vobis suffodisset vtiq; dominationem vestram tot qualiumcumq; amissio cuius. Imo etiam & ipsa destituitio punisset. Proculdubio expauescitis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quandam quasi mortua vrbs. Quæissetis quib. in ea imperassetis. Plures hostes quam ciues vobis remansissent: nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum pene omnium ciuium, pene omnes ciues Christianos habendo.*

XIII. Præterea quomodo, quove iure viri defectum illi causari possunt, qui accendos lupos, id est, principes infideles vel hæreticos docent, quacunque ratione poterunt? Nam si vis aperta deerat, poterant ne fraudes ac doli non superesse? Poterant ne Apostoli, poterant ne Episcopi nō aliquem paricidam confessionibus armare in Nerone, in alios? Nam, qui alia ratione non poterant Angli Papistæ suos reges tollere, huc sibi licitum putarunt deuenire. Deniq; quid defectum virium causantur, cum hoc seculo nihil non tentarit in Anglia, in Gallia. Pontifex Rom. ad deturbados Reges legitimos, etiam vires nullas habebat sufficientes? Nimirum nullus adhuc prodierat Iesuita. Pro Dei atq; hominum fide, in quæ nos tempora reseruari sumus! Deerant olim Christianis, nunc abundant Papistis, Clementes, Chastelli, Raualliaci. Et miretur quisquam nullos olim ne tyrannos quidem vulneratos, nunc etiam Reges cæcos? Certe Tertullianicum est, *Quid de tam conspiratis vnaquam deuoratis; de tam animatis ad mortem usq; pro iniuria reuoluntatis quædam vel vna nox pauculus faculus largitatem vlsionis possit operari, si malum malo diffundit; penes nos liceret?* Apologetici 37.

XIV. Tertio, si nullæ vires fuere Christianis contra Ethnicos: at certe fuere Iudæis contra Solomonem, & similes. Nam Iudæi omnes abhorrentes ab Idololatria: & poterant torpentes incitari à Prophetis. Cur non etiam poterant Christiani sub Constantio, sub Valente? Cur non sub Iuliano? Iuliano, inquam, cuius totus exercitus erat Christianus? Lege apud Theodoretum initio lib. 4. Mortuo Apostata, destitit Iouianum Imperio totus exercitus: ille detreçat, ne gaus velle imperare exercitui Iuliani, Christianus cum esset. At illi *ἡμῶν ἀφ' ἑσῶ φωνῶν, vna eademq; omnes voce: μὴ ὀνειδισθῆναι ἅ βασιλεῖν. Ne cõnūtare, ὁ Imperator: Χριστιανὸν γὰρ βασιλεύουσιν, Christianis imperabis im-*



butisque pietatis institutis. Et his nullæ vires erant ad deturbandum Iulianum? Imo de erat institutio Iesuitica, At abundabant ne in vobis iudicium.

XV. Venio ad Paulum. Et primum si hortetur Corinthios constituere novos iudices, nego tamen sequi licuisse non tolerare iudices Ethnicos. Nam omnes expositores consentiunt hæc iis dicta de litibus voluntariis, hoc est, in quibus non cogentur ire ad Ethnicos. Nam alioquin si vocarentur, tum obtemperandum. Thomas in eum locum, Dicendum quod Apostolus non prohibet, quin fideles, sub infidelibus principibus constituti, eorum iudicio compareant si vocentur: hoc enim esset contra subiectionem, qua debetur principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium iudicium. Itut hoc falsum est: aut verum, tum certe licebat Christianis tolerare. Licebat autem? Imo necesse erat: si vere dicit Thomas eam detractionem iudicij futuram contra subiectionem quæ debetur principibus. Quare, quæcunq; tandem fuerit iudicium constitutio, tamen illa nihil ad eorum excusationem, qui ne licere quidem volunt Ethnicos tolerari.

XVI. Denique, dico iudices posse intelligi dupliciter: vel magistratum gerentes, vt exempli gratia, Prætores, qui publica auctoritate ius dicunt: vel arbitros, qui priuato contententium consensu electi, priuata auctoritate lites dijudicant, & componunt potius, quam decidunt. De prioribus non fit verisimile Paulum esse loquutum: non enim id illa ferebant tempora. Tum autem nusquam vllum repetitur exemplum iudicis, ita à populo Christiano constituti. Atq; adeo ipsi dant aduersarij, Ego vero sator (inquit Bellarminus contra Barclaium, c. 21.) non habuisse iudices illos Christianos, iussus Apostoli constitutos, vim coactiuam in foro exteriori. Quod si de secundis sermo sit, tum vero hi nihil contra auctoritatem Ethnicorum iudicium. Nam, & hodie, quilibet priuati inter se contententes possunt quoslibet sibi arbitros, id est, iudices constituere: qui tamen, & tolerant, & probant politici magistratus auctoritatem. Iustinianus, Facile quis intelligit non loqui Apostolum de legitimis iudicijs, quæ à Magistratibus, publicisque iudicibus auctoritate publica exercentur: sed de iis, qui communi consensu designati essent ciuiliu controuersiarum disceptatores. Guillaudus, Non hic agit, qui constituantur in Ecclesia iudices, sed ne Christiani litigent apud impios, seu infideles, & quemuis potius, vel contemptissimum, modo Christianum, arbitrum sua causa faciant.

XVII. Sed Bellarminus videtur tertium quoddam iudicium genus formiare: qui neque potestatem coactiuam habuerint in foro exteriori, neque tamen priuata contententium auctoritate constituti sunt. Contentid enim potius fuisse auctoritate publica multitudinis constitutos. Argumenta illi hæc. Primum. Quia cum ostendit Paulus bonum non esse adire tribunal iudicium Gentilium, loquitur de vero iudicio, non de solo arbitrio: ideoque etiam cum iubet iudicari apud sanctos. Secundum: Quia demonstrat auctoritatem Ecclesiæ, quæ iure suo possit de secularibus rebus iudicare, cum sit iudicatura totum mundum, & Angelos ipsos. Tertium in his verbis, Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum: concludere Paulum ex dictis: quoniam malum est iudicari apud iniquos Gentiles, & Ecclesia auctoritatem habeat iudicandi, vt communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint iudices. Nec dicere, vnusquisque eligat sibi arbitros, sed vos congregati in vnum constituite iudices.

XVIII. Ast ego primi argumenti antecedens concedo, nego consequentiam. Nihil enim obstat, quominus, qui dehortatur à iudicijs Ethnicorum, idem hortetur ad priuatos arbitros. Itaque, etsi in priori parte sermo sit de iudicio vero, tamen in posteriori potest de iudicio arbitrario. Alioquin si non potest, nisi de eodem iudicij genere in vtraque parte sermo esse, cur non ego dicam, sicut in priori sermo est de iudicio coactiuo in foro exteriori, ita & in altera? Aut qui potest desilire à iudicio coactiuo, ad non coactiuum, qui me reprehendat transeuntem à vero iudicio ( vt eius verbis vtat) ad arbitrium amicabile? Maxime, cum paulo post, Apostolus transeat ab vno extremo ad aliud longe magis distitum? Nempe, tum cum iubet eos potius iniuriam pati, quam litigare.

XIX. Ad secundum, nego demonstrari auctoritatem Ecclesiæ, quæ suo iure possit de secularibus iudicare. Non enim Ecclesiæ, sed eorum, qui sunt in Ecclesia: deinde non auctoritatem, sed ingratiam, id est, priuatam sufficientiam, quomodo prudentiores, dicimus harum rerum capaciores. Illud facile. Nam si totius Ecclesiæ vult esse eam auctoritatem, cur postea iubet aliquos iudices constitui? Certe aliqui, non sunt ipsa Ecclesia. Neque hoc difficile. Nam si auctoritas iam integra fuisset, cur postea iuberet quosdam constitui iudices? Imo nominauit, τὸς ἐξ ἡμετέρων, quasi concederet apud eos ἀντισησθῆναι. At non possunt hic, οἱ σοφοὶ τοῖς ἐξ ἡμετέρων comparari, nisi propter priuatam ingratiam. Nam, & οἱ σοφοὶ, non sunt οἱ ἐντίλοι.

XX. In tertio, concedo primum membrum: non probari à Paulo, quæri iudicium Gentilium à Christianis. Secundum nego, vt paulo ante, nempe asseri auctoritatem Ecclesiæ ad huiusmodi iudicia. Tertium de communi consensu distinguendum. Vel enim intelligit commune, quasi decretum Ecclesiæ publicis suffragijs designantis certos homines ad hoc munus: vel communem consensum singulorum litigantium, arbitros sibi designantium. Nam hunc communem consensum facile concedo: cui nihil est commune, cum illa auctoritate Ecclesiæ. Alterum autem constantiter nego: & dico, quomodo cum dicit, Ἄγε ἕχι μὴ ἴδωμεν ἄδελφοί, non significat commune aliquod decretum, quo decretatur hunc, illumve debere iniuriam pati: sed priuatum consilium Christiani, qui potius quam litiget cum fratre, debeat iniuriam pati: sic etiam, cum dicit, τὸν καὶ δὲ σε, velle fratres litigantes inter se priuatum consentire in arbitros.

XXI. Quid tum enim, si non dicat, Vnusquisque eligat sibi arbitros? Atqui ne dicit quidem, Vos congregati in vnum constituite vobis iudices: quod Bellarminus vult. Et hoc quidem longe alienius, longe magis coactum, quam illud. Nam, quis nescit infinitos similes locos occurrere sic interpretandos? Matthæi 6. Congerite vobis thesauros: id est, vnusquisque vestrum sibi congerat. Quarite primum regnum Dei, hoc est, vnusquisque quærat. Lucæ 8. Videte quomodo audiat, hoc est, vnusquisque vestrum videat. Et quid opus est pluribus? In hoc ipso loco, Secularia iudicia si habueris: quod quis sanus intelligat, si vos congregati in vnum habueritis iudicia secularia: & non potius, & si vnusquisque vestrum habeat?

XXII. Transeo ad eiusdem propositionis probationes. Ad primam ergo, negatur consequentia: non enim eiusdem iuris est eligere regem, & non

tolerare. Itaq; Iudæi ipsi, qui nunquam sine dubio assumpsissent Herodem ad regnum: tamen constitutum in solio tolerarunt, seseque illi prebuerunt obsequentes. Deinde frater intelligendus de semine Abraham secundum carnem, non autem fidelis. Itaque, qui non debuerunt alienigenam admittere, tamen non debuerunt Roboam reculare, etsi, neq; moderatum principem, neque etiam pium. Ratio evidens: quia in eligendo plenum ius est, plenaque libertas. At cum electio facta est, quæ libertas erat in populo, transit in electum. Quomodo contractus Iurilconsulti dicunt, antequam fiant, esse voluntarios: sed factos esse necessarios.

XXIII. Atqui, inquit, idem periculum est in tolerando, & in eligendo: nempe ne plebs abducatur à religione. Fateor, inquam, at non idem iuris. Videndum autem, non tantum, vt bonum fiat sed etiam vt bene. Et nos sane, cum ius deficit, multo rationabilius volumus regem tolerari, quam Bellarminus, cum vires deficiunt. Dicam clarius admitit Bellarminus excusari veteres Christianos, qui tolerarunt Ethnicos, & hæreticos imperatores: hanc vnam ob causam, quod non possent vi aperta deponere. At nos multo iustius laudamus eos qui tolerarunt, cū scirent vt non debere se in tantâ audaciam extolli, vt principes suos deturbarent. Quod si idem periculum coniunctum esset cum eodem iure, tum nos non contradicemus. Et quæ laudaremus Venetos, si non tolerarent Ducem hæreticum, ac si nolent eligere.

XXIV. Præterea, etsi concederem quæ non tolerandos, ac non eligendos principes infideles, tamen negarem sequi auctoritatem hanc esse Pontificis. Quia eiusdem deponere, cuius est eligere: quia & eiusdem iuris. Ac nulla vnquam Imperatoris, Regisve electio pertinuit ad Pontificem, siue ad Ecclesiam, quatenus est Ecclesia: sed tantum per accidens, hoc est, quatenus idem, qui Ecclesiam componunt, etiam Rempublicam constituunt, Ergo neque depositio.

XXV. In secunda confirmatione, falsum est, non debere Christianos tolerari Principem, cum euidenti periculo religionis. Contra enim, vt diximus, factitatum olim, cum Christiani longe essent sanctiores, quam vnquam postea. Non quod non hortentur Christiani omnes periculum iure religionis: sed quia cum sibi, siue vires, vt vult Bellarminus, siue potius iustitiam defesse vident, rem totam Deo commendat: cui sua Ecclesia cura est. Quomodo Sozomenus, c. 2. libri 6. narrat Didynum supra modum doluisse, Iulianum cæco errore vagari, & Ecclesias contemnere, ideoque ieiunasse, Deumque supplicem orare cepisse. Quod neq; ille solus fecit. Nam oratione 2. contra Iulianum Nazianzenus, ἐκείνος ἐφίεργον πέος ἢ Θεὸς τὰς Φωνὰς: πέος ἄρ' αἱ δὲ σὺ πότμου ἱπικαλὸς ἄρ' αἱ δὲ σὺ πέος πατρός, χροστὴν ποτὴν ἰσχυροῦ. Ἦς δὲ οἱ οὐκ ἐπίδωκε, καὶ δικαιολογηθῆναι πέος αὐτῶν, οἷα ἔς τὴν ἀληθινῶν. Ἦς πάλιν αὐτῶν, ὁ Θεὸς εἰς τὴν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ οὐκ ἐπίδωκε, καὶ μὴ δὴνησθαι οὐρανὸν ἵνα ἐκείνην ἀπ' ἐχθρῶν. Has ad eum voces emittebamus, partim, vt Dominum inuocantes: partim, vt apud benignum, & facilem patrem conuerentes partim velut exprobrantes, & cum eo exposculantes, vt solent, qui in dolore versantur. Vt quid Deus repulisti in sinem: iratus est furor tuus super oues pasce tua? Memor esto congregationis tua, quam possedisti ab initio. Et alia multa.

XXVI. Atqui, inquit, cum pugnant ius diuinum, & humanum, tum potius seruandum diuinum. Fateor, inquam. Veruntamen ita significatur, non esse à nobis ius diuinum violandum prætextu iuris humani. Non autem, vt à nobis compescantur omnes qui ius diuinum violant. Illud omnes tenentur facere: hoc vero tantum ij quibus ius est coercendi. Ita Apostoli intrepide, Actor. 4. Au apud Deum istum est vobis potius auscultare, quam Deo, iudicate. Imo, & apud Daniel. 3. tres adulescentes, Notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexit, non adoramus. Tum enim, pugnante hinc mandato hominum, id est, iure humano, inde mandato Dei, id est, iure diuino, magnanimem viri, huic adhaerunt, illud neglexerunt. At nemo pius vnquam ita intellexit, vt putaret sibi necesse esse Magistratum violare, vt impediatur quominus suis mandatis ipse Dei ius violat.

XXVII. Præterea nullum ius diuinum fideles violant, cum tolerant Reges infideles. Imo ius diuinum obseruant: de quo dictum, Reddite Cæsari, qua sunt Cæsaris. Vere enim iuris est diuini, obedientia principibus debita. Atqui, inquit, iuris est humani, huncne an illum regem habeamus. Etsi, inquam. Verum iuris est diuini, obedientia huic quem habemus regi debita. Itaque non ego iam prætextu iuris humani, diuinum negligo: sed tu potius, vt rumque pedibus conculcas: nam & personam deturbas, quam fateris te habere iure humano: & obedientiam, quam ei debes iure diuino, nihil facis.

XXVIII. Tertia confirmatio non est sanioris mentis. Primo antecedens falsum. Nunquam enim Paulus coniugi permisit discedere à coniuge, si nolit manere absque fidei detrimento. Sed si nolit manere, id est, si velit infidelis discedere, siue matrimonij vinculum soluere. Verba disertia, Si incredulus discedit, discedat: non est seruuiti subiectus frater, aut soror in huiusmodi rebus. Audin? Si discedit, id est, interprete Caietano, non vult perseverare coniugio. Quod si infidelis velit manere, tum iubet, & fidelem Paulus non discedere: Si quis frater habet uxorem infidelem, qua consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittat. Et uxor qua habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittat. Quare Paulus fidelem nullam dat liberam optionem manendi, abeundiue: sed vult teneri quantum ex ipso, ad cohabitationem. Si tamen pars infidelis discedere velit, hoc est, ita vt & initium, & decretum discessionis ab ea sit, tum vero liberam esse fidelem.

XXIX. Secundo, consequentia est vitiosa. Primo, quia non ex mente Apostoli. Nam Paulus supponit virum violentem discedere, id est, renuanciantem iuri suo quod habebat in vxorem. Itaque, potuisset locus applicari Diocletiano, & Maximiano, si Imperium renuanciant religionis odio, vt habetur in Actis Menæ martyris apud Baronium anno trecentesimo quarto, §. 7. Sed Bellarminus eos dicit principes, quorum etiam sit in religionem Christianam odium ardentissimum, nihil sibi tamen de suo iure diminutum volunt. Itaque altera pars melius quadraret, si quæ uxor habet virum infidelem, qui consentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittat: id est, si quæ Ecclesia principem infidelem habeat, qui non nolit esse princeps, ne eum deponat.



XXX. Deinde non comparantur similia. Nath vir, & vxor relata sunt inter se, & mutuo coniugij vinculo copulantur. At Rex, & Ecclesia, non item relata sunt: sed rex, & regnum: Pontifex, & Ecclesia. Itaque legitima concludendi ratio erat, vt diceret, non minorem esse potestatem coniugis in coniugem, quam Regis in Regnum: Pontificis in Ecclesiam. At tum non nihil esset tolerabilius dictum. Nam si ius est aliquod deponendi Regis, id ad regnum pertinere debet, non ad Ecclesiam: quomodo si ius est dimittendi mariti, id vxoris est, non vicine. Atqui hæc nulla nunc nobis quaestio est: sed de iure Ecclesiae in Regem. Imò non Ecclesiae, sed Pontificis Romani: vnde aliud peccatum in argumento, quia non concludit Thefin.

XXXI. Præterea, noua occurrit dissimilitudinis ratio. Nam Paulus loquitur de iis, quorum matrimonium contractum est ante fidem: ac proinde de infideli, manente qualis erat cum contraheretur id matrimonium. Imò, si vtraque pars tum fuisset Christiana, deinde altera incideret, vel in hæresin, vel in infidelitatem, tum fatentur Papistæ, non posse dissolui matrimonium. Certè Bellarmini ea sententia est: & verba contra Barclaium, c. 20. *Qui duxit vxorem more Christiano, siue prudens, siue imprudens id faciat, non potest post matrimonium consummatum, vlla ratione ab eo vinculo solui. Et 23. Finis me loqui de coniugio inter fideles de contracto, quorum alter postea in hæresin labitur: quod matrimonium omnino insolubile est: sed mihi nunquam venit in mentem de matrimonio eiusmodi loqui.*

XXXII. Hinc ego miror potuisse à Bellarmino deprehendi sui argumenti ineptiam. Non enim ille vult reges Ethnicos deponi posse ab Ecclesia: quia non agnoscat subditos Ecclesiae. Et vult reges, qui Christiani sunt hæretici, posse deponi. Hæc ego sanè non video quomodo probari possint exemplo matrimonij. Quæ enim ratio fert, vt dimitti potuerit, exempli gratia, Maxentius ab vxore sua (nam hæc Christianam commentum fuit in fabula Catharina) at non potuerit idem deponi ab Ecclesia? Aut rursus dimitti non potuerit Valens ab vxore sua (demos eam perseuerasse in fide cum desciuit Valens) & potuerit tamen deponi ab Ecclesia? Certè oportet, aut rationem esse diuersam terminorum, id est, non comparari similia: aut directè concludi, & posse deponi principem infidelem, manentem in infidelitate: & non posse deponi principem, qui ex fidei fiat infidelis, vel hæreticus.

CAP. IX.

De Regibus subditis Christo: De cognitione peccatorum: De iudicandis dubiis, & ambiguis.

I. Septima ratio adhuc Bellarmini est, sed & Sanderi. Quicumque reges subditi sunt Christo, & debent eius fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna regni perdeni: ij possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi à principatu, quâdo sunt hæretici, aut religioni obsunt. At omnes reges Christiani, subditi sunt Christo, & debent eius fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna regni perdeni. Ergo, possunt ab Ecclesia iudicari, & deponi, si sūt hæretici, aut religioni obsunt. Probatur Minor, quia in Ecclesiam recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt scepra sua subiciant Christo. Et Luc. 14. *Quisquis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, ad huc autem animam suam, non potest meus esse discipulus.* Deinde Ecclesia nimis grauius erraret, si admitteret aliquem regem, qui vellet impunè fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, ac euertere religionem.

II. Respondeo: primò, non concludi quaestionem, quæ est de Papa, nõ de Ecclesia, vt saepe dictum. Secundò, negari maiorem. Atq; adeò hunc esse nodum controuersia: itaq; mirũ tam esse negligenter tractatum à Bellarmino, vt nullo argumento, imò nulla vel coniectura, confirmare conatus sit. Enimvero nos fatemur, omnem Christianum, ac proinde regem, si sit Christianus, subditi Christo: fatemur etiã debere fidem seruare, ac defendere, etiã regem cum periculo regni amittendi. Sed negamus ideo debere ab Ecclesia iudicari, ac deponi. Nec difficile hoc est in intellectu. Nam, & singulos fideles fatemur, & subesse Christo, & debere fidem seruare, ac defendere, etiam sub pœna amittendorum bonorum, imò ipsius vitæ profundendæ. Sed negamus penes Ecclesiam esse, hæc bona cuiquã auferre: aut quenquã morti adiudicare. Nã si debet fieri, à Magistratu faciendum est: cuius ea cognitio.

III. Secundò, respondeo: Illud, *Sub pœna regni amittendi*, significat, vel pœnam, quæ infligitur, quando non satis officio: vt sit sensus, debere eũ, qui non seruabit, aut defendet fidem, puniri hac pœna, vt amittat regnum. Vel periculum amittendi regni, hoc est, vt teneantur fidem in se seruare, & in aliis: etiam si videat sibi ob eam constantiam regnum eripiendum. Posteriori sensu conceditur Minor: & exempli gratia, dicimus in nostro Hærico quarto hanc inesse debuisse constantiam, vt cum vidit, sibi à Papistis conditionem proponi, aut desciendi ad Papismum, aut discedendi à spe regni: hoc potius eligeret, quod & ante erat protestatus scribens, ad Ordines Blesenses. Sed negamus tamen maiore. Quia propriè ea nulla est pœna ab Ecclesia infligenda: sed est officium, vel quod singulorum conscientia obligatur coram Deo, & pro amore salutis æternæ. Hoc autem officium debet Ecclesia seruo, & proponere, & inculcare omnibus Christianis: imò etiam neglectum vindicare: sed suis pœnis, id est Ecclesiasticis.

IV. Priori autem sensu, Minor est prius falsa, atq; hætenus nunquam audita. Nec valent rationes ad eam consummandam. Nam in prima, subiecte Christo sua scepra, non id significat: nam neq; subicere Christo regnũ, aut pœna est, sed officium: aut est amissio regni: vt mittam, nihil hoc ad iudicium Ecclesiae: cum Ecclesia non sit Christus. In secunda rursus, odisse patrem, matrem, filios, vitam, nego esse pœnam, sed officium. Ideo q; ab Ecclesia non infligendum, sed commendandum, & prædicandum. Et si contra peccetur, tum Ecclesiae gladio vindicandum.

V. In tertia, si illud impunè, sic intelligat Bellarminus, vt contineat pœnas temporales ab Ecclesia infligendas, tum vero hæc ratio negatur: nihil enim à quoquam debet exigere Ecclesia, quod sibi non debeat. Exempli gratia, non debet exigere à quoquam, veniente ad fidem, hanc subiectionem, vt si quando deficiat à fide, possit ab Episcopo occidi. Eademq; ratione non debuit Syluester à Constantino baptisma petente (si tamen à Syluestro Constantinus petiit) hoc exigere, vt se lineret ab eo priuari Imperio, si fortè deficeret ad hæresin. Sin autem intelligat pœnas Ecclesiasticas, tum verò non negatur, nulli esse debere impunè fouenti hæresin. Sed hoc nihil ad depositionem ab Imperio.

VI. Et tamen illud etiam fouere distinguendum. Potest enim princeps fouere sectam aliquam, vel politicè, tanquam princeps communis omnium, & prouidens, vt omnes pacificè viuant: vel, suo in eam hæresin affectu, adiuvando etiam contra Ecclesiam. Hoc posteriori sensu, concedo nulli principi, qui sit membrum Ecclesiae, debere esse impunè ab Ecclesiasticis censuris. Sed illo priori, nego debere in eum principem has ipsas censuras exeri. Nam, vt ne longè abeamus, nonne ipse Papa politicè fouet in suis terris Iudæos? & Veneti in suis etiam Græcos? Nec primi Imperatores Christiani, Ethnicos suo imperio abegerunt: imò promouerunt etiam ad honores, ac Magistratus.

VII. Ratio octaua est Ioannis de Turrecremata. Quicumque cognoscit de omnibus peccatis, non solum contra articulos fidei, & Sacramenta: sed etiam de quibuscunq; mortalibus circa quascunq; actiones personales seculares, is habet iurisdictionem secularem. At Papa ita cognoscit de omnibus peccatis. Ergo habet iurisdictionem secularem. Probat minor: primò, quia cuius est finem considerare, eius est iudicare de his quæ debent ad finem ordinari. At omnes actiones fidelium, debent ordinari ad consequendum vitam æternam. Ergo, cuius est considerare de salute animarum: eius est iudicare de actionibus hominum, per quas possunt deuiare à salute. Secundò, Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes: vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum: quod si non audierit, dic Ecclesia: Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus.*

VIII. Respondeo, cognosci de peccatis, non vno modo propter varios fines. Aliàs enim vt consulatur animæ salutis, singulorum peccantium: alias vt conseruetur societas hominum inter se. Priori modo, negatur maior. Nam ij tantum habent iurisdictionem temporalem, qui ita cognoscunt de peccatis, vt finem habeant societatis humanæ conseruationem. Alij autem, qui spectant salutem peccantium, habent duntaxat iurisdictionem spiritualem: quæ appellatur nomine clauium cœlorum. Itaq; Paulus sic cognouit de Incelto, vt præter excommunicationem, nihil aduersus eum egerit. At Magistratus Christianus nõ excommunicat, sed corporo aliter puniuit. Imò, & Christus eo ipso Matthæi loco, cum iubet ad Ecclesiam vocari fratrem peccantem, non concludit, si Ecclesiam non audit, suspendatur, aut decollatur, aut suffigetur, aut quid eiusmodi: sed esto tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, id est, interprete ipso de Turrecremata, excommunicatus.

IX. Altero autem modo, conceditur quidem maior: sed negatur minor. Nam hoc genus cognitionis, totum pertinet ad Magistratum civilem: in cuius mœstem Papa, suam non debet falcem mittere. Nec verò minore probat Sophista. Nam prima probatio concludit, duntaxat cuius sit considerare de salute animarum: eius esse iudicare de actionibus hominum, quibus possunt deuiare à salute, quod nos concedimus, sed non probat eiusdem esse iudicare de iis actionibus more politico, & tamen si hoc non probat, nihil agit. Tum autem eo peccat, quod cum disputetur de Papa, ille agnit de eo, cuius sit considerare de salute animarum: quod non tandem iam pridem nihil ad Papam, qui Episcopum non agit, sed tyrannum: verum etiam si pertineret, tamen non solum, sed cum omnibus Episcopis, & Presbyteris. Itaque si argumentum concluderet aliquam iurisdictionem temporalem: ea non esset solius Papæ: sed omnium Episcoporum, quæ nunc nulla est thesis. Altera autem probatio manifestè agit de peccatorum cognitione Ecclesiastica, non autem civili.

X. Ratio nona eiusdem: (Sed quæ numeratur etiam à Bellarmino inter argumenta Canonistarum) est eiusmodi: Is ad quem spectat declarare, definire, & iudicare dubia, & ambigua circa quascunq; actiones hominum personales, quæ inter iudices inferiores, siue clericos, siue seculares variantur, is habere videtur iurisdictionem temporalem, modo nobiliorij, & excellentiori, quam potestates seculares. At Papa is est. Ergo habet iurisdictionem temporalem. Probat assumptum de Turrecremata, autoritate Innocentij tertij, capite *Per venerabilem*, extra, *qui filij sunt legitimi*. Vbi citatur ex Deuteronomij 17. illud de iudicio dubio inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram. Apud Bellarminum additur Canon, *Quicumq; litem*: Et Canon, *Quicumq; contentiones* apud Gratianum, causa 11. quaest. 1.

XI. Responso facilis negata minore: cuius nulla probatio vllius momenti. Nam Innocentius tertius, & Papa est suspectus testis, & inter postremos tunc sedens cum iam elatissima esset Pontificum ambitio. Itaque fœdè abutitur loco illo Deuteronomij. Nam quid ille ad summum Pontificem, qui de Leuitis est, quorum erat infra quoslibet Sacerdotes dignitas? Aut quomodo cum eo consistere potest, quod in eodem argumento idem de Turrecremata asserit ad Papam spectare eam potestatem iure summi Sacerdotij? Nam id summum Sacerdotium non erat in Leuitis. Canonem illum priorè, monuit Bellarminus esse antiquatum: quod etiam per partes docet Glossator Alteri autem incerti esse autoris: & nullius momenti, vt pote prænotatum titulo *Pala*. Quanquam in editione Gregoriana tribuitur Maccellino eius nominis primo: & reuera legitur in eius decretali secunda ad Episcopos Orientis. Sed hanc esse supposititiam ipsa lectio testatur. Atque hac causa, credo Baronium has Macellini decretales, ut nomine quidem esse dignatum.

CAP. X.

Argumenta Carrij.

I. Carrij rationes placet seorsim examinare, atitequam venio ad exemplum, quæ enumerari solent autoritatis Pontificum Romanorum in Principes. Prima hæc est, nam sequar eius ordinem. Felicitas est Reipublicæ finis. Felicitas pendet à virtutibus veris. Virtutes veræ à Religione. Religio finis caput est summus Pontifex. Ergo Pontifex, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis plenissimam in vniuersum terrarum orbem, potestatem habere fatendum est.

II. Respondeo, multa peccari. Primò, Felicitatem esse Reipublicæ finem, falsum esse vniuersaliter sumptum. Nam felicitas alia secularis, alia æterna: illam finem esse Reipublicæ fatemur. Hanc negamus. Rursus felicitatem pendere à virtutibus veris, non est vniuersaliter verum. Nam virtutes aliæ morales, aliæ Theologicæ. A Theologicis pendet æterna felicitas.



At à moralibus illa altera. Tertiò virtutes veras à Religione, Theologicis, fateor: morales non item. Itaque etsi concederemus Papam esse caput Religionis, tamen non sequitur eum habere potestatem temporalem.

III. Præterea, fallum Papam esse caput Religionis: nisi fortè quomodo omnes Episcopos quod nihil ad rem. Et si concederetur esse, tamen nulla est consequentia. Non enim sequitur, si Papa sit caput Religionis, & à religione virtutes pendeant: & à virtutibus felicitas: & hæc sit finis Reipublicæ. Ergo Papam habere potestatem secularem. Nam hæc potestas in antecedentibus nullo loco fuit nominata.

IV. Secunda Carerij ratio ex unitate primi principij. Sicut enim in supernis vnus est Deus: ita & in terris debet esse vnus Dei Vicarius ad eius similitudinem. At Cæsar non est is Vicarius: Ergo Pontifex, cui cuncta temporalia, & spiritalia subsunt. Probatur prima propositio: primò, quia inferiora regulari debent ad instar superiorum: cum ad imaginem Dei creati simus. Secundò, quia principum pluralitas non sit bona, teste Aristotele Metaphysicorum 12. textu 55. Tertiò, quia sicut monstruosum est in corpore esse plura capita: ita naturæ repugnat plures in orbe dominos esse. Assumptio probatur, quia Petrus solus supra mare ad Christum venire visus sit, vt mysticè daretur intelligi, quòd totum orbem per mare designatum, sub sua ditione habiturus esset.

V. Respondeo: primò negari id quod de Pontifice dicitur in minore. Non enim Papa Vicarius Christi, qui nihil ad Christum pertinet: & si concederetur ad Christum pertinere, certè non esset solus Vicarius, vt aliàs docuimus: & habemus ad stipulatores Gallicos Episcopos in Concilio Compendensi, in quo ausi sunt destituere imperio Ludouicum primum, hoc ipso Vicariatus prætextu, *Omnibus in Christiana religione constitutis*, inquit, *scire conuenit, quale sit ministerium Episcoporum, qualisq; vigilantiæ, ac sollicitudo eis circa salutem cunctarum adhibenda sit, quos constat esse Vicarios Christi, & clauigeros regni cælestium*. Recenset Baronius anno noni seculi trigésimo tertio: & ante eum Pithoeus ediderat.

VI. De Petro ambulante solo super aquas, actum aliàs. Sed hoc tamen nondum erat auditum, hoc factò significari totum mundum sub eius ditione futurum. Alij alia excogitant: vt est fertilissimus campus *πῶς ἀλλήγορο μολυβίας*. At Catholici nihil admittunt vllò hoc artificio probatum: nisi id ipsum perspicuis Scripturæ testimoniis confirmetur: solumque literalem sensum esse argumentarium, vt loquuntur Scholæ. Poterit ergo Carerius, cum vult his sibi subtilitatibus delicias facere, sed in solidis controuersiarum disputationibus, scito se apud prudentes cachinnum exciraturum.

VII. Secundò, negatur prima propositio. Nam Vicarij institutio pendet, non à natura: sed ab instituentis voluntate. Itaque tot sunt Vicarij, quot eos iste vult esse. Ita in regno Galliarum, plures sunt proteges: nec eodem semper numero: imò, alias plures, alias pauciores. Tum veid aliud iuri dicundo præest Cancellarius: alius bellicis rebus, Conestabulis: Nec est alteri in alterum vllum imperium. Similiter Deus suos Vicarios voluit esse plures vno: sed vniuersaliter duorum generum: alios politicos, alios Ecclesiasticos: distinctis muneribus: vt ne politici sint Ecclesiastici: vt ne etiam Ecclesiastici sint politici. Itaque nullius momenti est comparatio vnus Dei, cum vno Vicario: est enim iupposititia.

VIII. Ad primam confirmationem: Nego vnquam in Scriptura dictum, inferiora omnia regulari debere instar superiorum. Et si dictum esset, tum oportet, et doceri in superioribus vnus esse Dei Vicarium: quod nunquam fiet. Quid tum autem, si facti vnus ad imaginem Dei? Aut quæ Dialectica docet inde concludi inferiora debere regulari instar superiorum?

IX. Non esse bonam multitudinem principum, concedimus: sed in eadem Republica. Atqui negamus vnus vnus orbem esse vniam Republicam. Ideoq; nec, si est, si plur. sunt Republicæ, plures esse item principes. Neq; vnquam Aristoteli in mentem venit, vt non essent in toto orbe tertiarum plures vno principes. Rufus etiam non est vna eademque Republica, id est, administrationis ratio, Ecclesia, & Regnum. Itaque nihil verat esse in vtraq; diuersos principes.

X. In tertia confirmatione, primò, non est vnicum corpus formaliter Republica, & Ecclesia, sed tantum materialiter. Itaque sunt, quasi duo corpora, quorum non sit eadem definitio. Cur igitur non sua habeant capita? Nam vnus caput, non nisi vnus est corporis. Sed illa profectò monstruosa est consequentia: quia vnus corporis vnus sit caput: ergo totius orbis non esse plures dominos.

XI. Tertia ratio, ab unitate Eccl. sic Ecclesia est vna: Ergo habet vnum caput. At id caput non est Cæsar: sed Papa. Ecclesia est summi Dei filia: igitur vnum patrem habet, non plures. Eccl. sic est vnica Christi sponsa. Ergo vnicum virum, & non plures habere debet. Ex quibus concluditur in orbe Pontificem esse summum Patrem, & orbis virum, & orbis vniuersalem Vicarium, atque dominum: & ceteros ab ipso, vt ab Architectore dependere.

XII. Proh Dei, atque hominum fidem! tantùmne ab humana ratione prodigiorum? Nam hæc quidem in argumentando prodigia sunt. Caput Eccl. sic Cæsarem non esse, concedo: sed esse ergo Papam, *αὐτὸς ἀρχὴ καὶ ἄστρον*. Nam cur non Christus potius? An verd ille *ἀπορίητι τὸ εἶς ἐκ τῶν ὁμοίων, ἀπορίη τὸ πῶς ἀλλήγορο*? Quid hæc iam deinceps? Ecclesia est Dei filia. Ergo habet Papam vnicum patrem. Est Christi sponsa: ergo eius vir est Papa solus. Sic cine? Et hoc apud Papistas fert natura? hoc ratio dicit? vt patrem alium habeat, præter eum cuius sit filia? vt filia sit alterius quam patris? Vt sponsa non sit viri, vt vir non sit sponsæ? Næ benè Nazianzenus *ἀσὺδὸς ἄστρον* dixit *τὸ πῶς ἀλλήγορο*, oratione contra Iulianum priore. Nam alias ne Choræbus quidem tam monstruose ratiocinando desipiat. Quid hoc rursus? Papa est caput, est pater, est vir Eccl. sic: ergo vniuersalis orbis vicarius, & dominus? *Currente rotæ cur præceus exit?*

XIII. Ratio quarta. Cuicumque inferiores homines tanquam vni præfixo principio respondent, is est Monarcha. At Papa inferiores omnes homines tanquam vni præfixo principio respondent. Ergo Papa est Monarcha. Confirmatur Minor. Primò, Is cui tanquam principio vni præfixo respondent homines inferiores, vel Papa est, vel princeps. At non princeps. Ergo Papa. Probatat assumptum: quia principi, non omnes parere debent: Excipiuntur enim Clerici, quos ipse non iudicat: Excipiuntur etiam Papa, qui à nemine etiam in temporalibus iudicari potest: apud Gratianum causa 9.

quæst. 3. c. *Nemo*. Secundò, Papa de tota Ecclesia iudicare potest: ergo, & de Imperatore: Item de omnibus Clericis.

XIV. Respondeo, Concedo maiorem: sed addo, Monarcham neminem dici absolute: sed tantum relatiuè suorum subditorum. Puta Gallorum, Hispanorum, Germanorum. Quia Monarchia dicitur ad differentiam Aristocratia, & Democratia, vbi non vnus, sed plures imperant. Quare etsi Cæsar, vt hunc exempli gratia nominem, non omnibus toto orbe hominibus imperet, tamen est verè Monarchia: quia vnus suis Germanis imperat.

XV. Verum negatur minor. Primò enim non omnes homines Papæ respondent: sed soli Papistæ: nemò Catholicorum. Deinde non querendum tantum vtrum respondeant: sed multò magis, vtrum iure, & non potius tyrannicè. At ne Papistæ quidem Papæ respondent omnes, nisi per vim, aut fraudem. Quicumque autem sibi potestatem parat in homines, non legitimis artibus, sed, aut vi, aut fraude is est tyrannus. Cum ergo Monarchia sit, non tantum vnus dominatus, sed legitimus: Ergo, Papa non est Monarcha. Sed est tyrannus oppositus Monarchæ, vt oligarcha Aristocratia: & Ochlocratia Democratia. Tertiò, vt sit quis Monarcha non tantum ei respondere homines oportet: sed respondere in temporalibus. At Papæ non respondent omnes in temporalibus. Non enim Rex Francorum: nec fortasse alij. Ergo non est Monarcha.

XVI. Ad primam confirmationem minoris: nego maiorem: restat enim tertium membrum: Nullus Reuera enim nullus vnquam homo, aut habitus, aut habebit imperium in omnes alios homines absque vlla exceptione. Imò, ne in vnuersum quidem orbem, quanquam aliàs distinctis hominibus, in varios ordines: vt Papam Papistæ faciunt Monarcham totius orbis, etsi infideles ab eius dominio excipiant. Quod si in singulis potius monarchiis, monarcham consideremus: tum veid, & dicimus Cæsarem, id est, quemcumque regem, esse in suo regno Monarcham. Nam exceptio Clericorum falsa est, vt aliàs disputabimus Deo dante. Et Papa, nisi tyrannus esset, subisset Romano Imperatori. Itaque, & iudicaretur in temporalibus. Negamus autem etiam, è Papa iudicari vnuerfam Ecclesiam: aut iudicari Cæsarem in temporalibus: imò etiam in spiritualibus, si sit Imperator extra urbem Romanam. Quomodo Ambrosius Theodosium iudicauit, tum cum fuit Mediolani: non cum Constantinopoli, aut Romæ.

XVII. Ratio quinta. Is à quo principes suam potestatem recipiunt, est monarcha orbis. At Papa is est. Ergo est orbis monarcha. Probatat assumptum. Primò, quia Romani principes, saltem post Christi incarnationem, & principis mundi eiectionem, suam potestatem à Papa recipere conueuerunt, vt apparet in coronatione, & consecratione: item in fidelitatis iuramento apud Gratianum, dist. 63. *can. Tibi Domino*. Secundò, Ecclesia de imperio ad libitum disponit: cum ipsum à Græcis in Germanos transfulerit: capite *Per venerabilem*, de Electione, & Electi potestate. Tertiò, Reges, & Imperatores, Papa deponit: causa 15. quæst. 6. capite *Aliud*. Quartò, Episcopus, vel ab eo delecti, confirmati, ipsos Reges creant, & eligunt: aurius regnandi eis dant legitimum, & plenum: in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Hungaria, Bohemia, Polonia.

XVIII. Respondeo, negari minorem. Nam Reges, vel Christiani sunt, vel infideles. Infideles perpicuum est, nullos à Romano Episcopo quicumque iuris accipere. Et hi tamen debent in argumento comprehendi: nam & horum dominus constituitur Papa à Carerio: est enim iste inter Canonistas. Christiani autem, sese omnes Dei gratia regnare dicunt, hoc est, potestatem suam habere à solo Deo. Quid in neque Christiani, neque infideles à Papa auctoritatem suam recipiant: Ergo fallum Carerius sumit.

XIX. Ad confirmationem, primò dico, Carerium solos Christianos principes enumerasse. Itaque non plene concludere. Secundò, qui vel à Romano, vel ab alijs Episcopis consecrantur, hos falsum est, ab iisdem, aut constitui, aut eligi, aut tuam potestatem accipere. Patet, quia etiam sine ea consecratione funguntur iisdem pleno suo iure. Sic in Germania, iam pridem solus Carolus quintus consecratus est, & tamen alij Imperatores, plene omnia exsequuntur munia, quæ Carolus quintus. In Gallia, Henricus quartus, annis non paucis verè Rex fuit, antequam sacretur, itaque semper annos suos computauit. Nec verum consecrari ab Episcopis, quos Romanus delegerit. Nam qui Episcopus Reges nostros vngit, is à Romano id iuris non habet.

XX. Quod attinet ad iuramentum fidelitatis, respondeo, fidelitatis iuramentum tolerare intelligi subditi ad dominum, id est, eius, qui ius aliquod recipit, ad eum à quo recipit, & exprimit hanc ipsam causam. Itaque nego vllis Imperatores hoc sensu iuramentum fidelitatis præstitisse Romano Episcopo, atque adeo in illo Ottonis iuramento, nihil simile, tantum enim potestetur se defensurum Ioannem, eiusque iura conseruaturum. Itaque id non præstitum in vlla auguratione, consecratione, vel, sed in expeditione Romana, cum sibi Ioannes eantur vellet.

XXI. Deinde, hæc omnia consecrationis, coronationis, iura esse recentia, nunquam obseruata, non dico ab Ethnicis Imperatoribus, sed ne à Christianis quidem ante Pipinum, & Carolum Magnum. Quis autem credat, aut Episcopos Romanos, aut etiam Imperatores, qui optimi ab initio, si vnquam optimi, ea iura fuisse non obseruatos? Imò iuramentum nullum ante Ottonem secundum, anno sexagesimo decimo seculi. Et quid in notatu dignum, Ioannem hunc, Pontificem illum esse, qui puer inuasis sedem malis artibus, illum, inquam, esse cui exensando nulla Papistarum sophistica sufficit. Itaque Baronius anno nonagesimo sexagesimo, de hoc ipso iuramento agens §. 5. *Ioannes*, inquit, *maud conseruus de iua in sedem Apostolicam intrusione, sic liberationem Romanæ Ecclesiæ ab Otone, quem vocat, exoptat, vt tamen antea voluerit sibi esse conseruatum, ne jui Pontificatus quoque modo iacturam pateretur*. Inna:um est à natura latronibus, vt omnes semper timeant, etiam socios, atq; adiutoribus non se credant. En tibi originem horum Sacramentorum.

XXII. Disponi regna pro arbitrio Papæ, & reges deponi: hoc veid non est vniuersale: tum etiam iniustum. Non vniuersale, quia nunquam factum in Gallia in Anglia, fortasse alibi. Attentatum quidem in Gallia, tum aliàs, tum nostro æuo: cum Henricum tertium, eiusque successorem quartum, Pontifex voluit pro sua libidine destituere, & regnum aliò deferre. Sed non ita faciles Galli. Nam & Parlamenta, bullas iusere per carnificem in cineres redigi. Et Galli omnium ordinum, exceptis paucis perfidis, sui principis au-



toritatem constantissime tutati sunt, adeo vt Pontificis minae omnes in fumum abierint: nisi succurrissent sicarij: qui tamen nisi in corpora principum scruerunt: de maiestate imperij nihil dum detraxerunt. Imo recentius indirectum ius vendicans suo Ioui Vaticano, iudicatus est seditiones rem nunquam adeo dementauit pocillatrix illa Babylonia, vt se non memissent Reges.

C A P. XI.

Bozij argumenta de Dominio Occidentis.

I. VT Carerij proximo capite, ita Bozij placet isto rationes expendere de Dominio in vniuersum orbem. Nam is seuerè disputat, Occidentalis Imperij iura omnia, & regiones pertinere ad Pontificem Romanum, & Cardinales. Indeque nullum Regem, & Principem, in Occidente quicquam possidere iure, nisi ex eorum liberalitate: libro de Signis Ecclesiae, c. 12.

II. Illud probat. Quia totius orbis dominium fuit penes Romanos: & quidem ita, vt nullum vnquam imperium fuerit iustioribus armis, ac sanctiori iure, partum. Probat primo, quia nulla vnquam ab eis mota bella, non missis prius legatis, ac fecialibus, qui res raptas repeterent. Secundo, quia pactorum fuerint obseruantissimi, teste Regulo. Tertio, quia Christus dixit, Reddite quae sunt Caesari Caesari: quod non dixisset, nisi imperium approbasset. Quarto, quia pro eo Christiani militabant: quod non licuisset, nisi iure stetit. Iam vero, post exactos Reges, fuit magna ex parte rerum summa penes Senatum. Imo Octavianus, cum veller Imperium deponere, Senatusque contradiceret: ita retinuit, vt profiteretur se de Senatorum consilio, grauissima quaeque transfacturum: & quidem in decennium: vnde mos remansit successibus decennialium. At cum à Constantino Constantinopolis aedificata esset, cepit distingui Imperium, & vt plurimum alius Orienti praefuit, Occidenti alius. Tandem, etsi Theodoricus Italia, Romaeque occupata, Senatum non sustulerit: tamen cum Atila postea urbem vel diruit, vel desolauit, nullus videtur Senatus reliquus factus. Itaque deinceps vrbis gubernatio, finitimarumque ciuitatum, relicta est Romano Pontifici, cui fuit Clerus Romanus pro Senatu. Atque en tibi, exclamat Bozius, vt mirabiliter, diuina sapientia disponente, tota authoritas illius antiqui Senatus in Clerum Romanum, Pontificemque deuenerit.

III. Atque haec de Pontifice. De Regibus autem & Principibus. Ponit non licere bello aliena occupare. Itaque Visigotus, Francos, Anglos, nullo iure sua regna tenuisse. Nulla etiam temporis praescriptione eorum successores potuisse eadem sua facere. Quare iniuste possidere, nisi ad liberalitatem Pontificis confugiant; qui possit ea iustis de causis transferre.

IV. Lepidum commentum ita mihi sint omnes Papistae propitij, quod vix sperare possunt. Sed enim, primo alienum à praesenti controversia, imo oppositum tam Canonistis, quam Theologis. Nam Canonici disputant iurisdictionem temporalem esse propriae Papae, eo quod Papa sit. Quod si est; tum vero omnium Paparum oportet fuisse communem à primo ad vltimū. At hoc falsum: quia si totius orbis dominium fuit penes Romanos; nec penes Papam, nisi postquam, illis desinentibus, in Papam facta translatio est: tum certe quum nondum illi desissent, ac proinde non esset facta translatio; nihil erat Papae iuris in id dominium, ac proinde quicumque Papae fuerunt ab ipso Petro ad usque Atilam, id est, ad Leonis primi tempora, exclusi fuerunt ab eo dominio. Non igitur Papae fuit, quatenus in Papa erat, quod Canonistae dictū non patientur aequo animo. At Canonistae docent, si quod ius sit Papae in dominium temporale, id esse indirectum. At si Romani Senatus transitus ius ad Papam; tum vero Romanus Papa ius habet directe in dominium temporale, non enim per accidens Senatus administrabat Rempublicam. Caueat sibi Bozius, ne vtrosque in se crabrones prouocet.

V. Veruntamen, primo fuisse iustum Imperium Romanum, hoc est, non nisi iure partum; hoc vero non videtur. Nam quae non scelera inuenias in ea historia; pauciora fateor sub Consulibus, sed non tamen nulla. At deinceps sub Imperatoribus nihil frequentius. Nam profecto vnus Imperium non nisi magno partum scelere nempe bello ciuili. Non enim alter aut Iulius, aut post eum Octavianus rerum potius. Praecipue vero Octavianus, à quo successio Caesarum comparatur: etsi enim Iulij contra Pompeium motus nihil habuerit sanum; tamen Triumphatus omnem inhumanitatis modum excessit.

VI. Quid? non ponit ipse Bozius, non licere bello aliena occupare? At nihil est, quod non bellis continuis Romani occuparint: aut si quid fuit, vnum forte, aut alterum populum numeres. Itaque apud Danielum, c. 7. describitur sub specie bestiae terribilis, atque mirabilis; dentibus ferreis & magnis: omnia comedentis, comminantis, conculcantis. Quae descriptio, quam est ab humanitate, iustitiaque aliena?

VII. Fuerit sanè nullum aliud iustius partum; vt vult Bozius. At non tamen iustè. Socrate nullus Atheniensium religiosior: nec tamen ille absolute religiosus. Platonici nulli Philosophi magis Christiani: nec tamen Platonici Christiani. Aquila nulla auis maior: nec tamen Aquila magna. Breuiter hoc dicimus, partim iustitiae praetextu creuisse Romanum Imperium: sed multo magis aperta vi, & iniusta violentia.

VIII. Quid autem, si fecialibus vsi sunt? Primò nullum inde ius acquirunt sibi aliena vindicandi: sed tantum sua auferendi ab iniustis occupatoribus. Quae enim lex permittit, vt qui mea conqueror mihi esse ablata, idem aliena viurpem omnia? At qui Deus furem tantum quadruplo, quintuplove damnabat, Exodi 22. Deinde, Feciales ab initio fuisse: post in delictu diuenerunt: adeo vt Varro de ijs loquatur tanquam iam ante desitis: de lingua Latina libro 4. Feciales, quod fidei publice inter populos praerant: nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum: & inde desitum. Certè sub Caesariibus ne nominantur quidem. Atque adeo hoc verissimè potest dici, tum feciales in viu fuisse, quum Sora & Algidum terrori fuerunt: Saticum atque Corni-

culum, prouinciae, quum de Veijs & Bouillis triumphatum est. Sed longius progressus, nullos. Itaque longè maximam partem Imperij partem, hoc iure neglecto.

IX. Pactorum fuisse obseruantissimos, concedi forte queat, ante Imperatores: etsi non desunt, ne tunc quidem in alteram partem exempla. Nam quae ad Furcas Caudinas fuere conuenta, ea constat Senatum neglexisse. Sed post Iulium longè plurima. Tum autem, quid tum, si pacta conuenta seruauerunt: qui alioquin cum nulla intercederent tam multis exemplis suam insatiabilem regnandi cupiditatem traduxerunt? Cum Galli Clusinum obsiderent, legati Roma ad eos missi, ante quam redirent in seclis rebus, Clusinijs opem tulerunt armati. Galli ad Senatum iniuriam detulerunt. Feciales pronuntiabant dedendos. At populus saluas maluit. Plutarchus Numa.

X. Enimvero quum iussit Christus reddi Caesari quae essent Caesaris, non tamen voluit asserere iure partum Imperium Caesaris, quod tanto constitisset ciuili sanguine, quae sub Iulio, quae sub Augusto. Alioquin etiam ciuilia arma approbasse dicendus esset. Sed voluit de ipsa auctoritate loqui, qua polebant tum temporis Caesares. Id sit manifestum è re ipsa. Nam voluit Christus ipsos Iudaeos censum dare Caesari. Atqui Perennis Iesuita libro 8. in Daniele, testatur iniuste coactam Iudaeam Romanis seruire, & tributa pendere.

XI. Milites Christiani quod seruerint Imperatoribus Romanis non magis mirum, quam quod censum soluerint. Id enim aequè debetur ijs qui summa rerum potiuntur. Nam & Francorum regibus, quos tamen Bozius tanquam vsurpatores, & iniustos possessores taxat, militasse certum, antequam in Pontificum liberalitate possent suam auctoritatem defendere: fuere enim in Gallijs nostris reges Christiani, antequam aut Theodoricus, aut Atila Senatum extinxissent: ac proinde, antequam ad Pontificem & Clerum deuoluta essent Imperij Occidentalis iura. Quod si haec Christianorum militia nullum ius deruit Francis regibus; cur potius Romanis Imperatoribus?

XII. Sed prosequamur reliqua: Post exactos reges fuit rerum summa penes Senatum. Ita, inquam, aliquandiu: id est, quandiu populus magistratus creauit Consules, Tribunos, Praetores. Sed non fuit, postquam res ad vnum redijt Imperatorem. Nam deinceps penes istum summa fuit: quomodo in omnibus regnis, penes regem. Itaque apud Graecos βασιλεύς appellatus, quantumlibet apud Romanos inuisum esset Regis nomen: quo solo abstulisse Caesares certum: quum re ipsa nemo vnquam regnauit superbius. Itaque Consules, Praetores, Senatores, atque omne genus magistratus, penes Imperatorem fuere. Ab eo nunquam fuit penes Senatum Maiestas: tantum aliquando per interualla quaedam Imperatoris electio: sed praeterea aut nihil, aut ferè nihil.

XIII. Cogitauit Augustus aliquando de deponendo imperio: sed semper retinuit. Suetonius libri 2. c. 28. De reddenda Reipub cogitauit: primò post oppressum statim Antonium: memor obiectum ab eo sapienter, quasi per ipsum statueret, ne redderetur: ac rursum radio diuturna valetudinis: cum etiam Magistratibus ac Senatu domum accitus, rationarium Imperij tradidit. Sed reputans se se priuatum non sine periculo fore: & illam plurimum arbitrio temere committi, in retinenda perseverauit. Audin tu retinuisse? Et verò cum secundo hanc fabulam ageret, Xiphilinus post Dionem arguit, τι παρὰ ἀσφάλειαν καὶ μὴ ὀφείλοντο, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀδελφείαν καὶ τὴν βίαν ἔχοντες πνεύματι, παρὰ ἰσχυρὰν τῶν πολιτῶν δοκίμην ἔχοντες ἔβησαν, εἰς τὰς πρῶτας ἀρσενείας καὶ ὑπομελέας χερσίν. Euentus probauit. Nam fingens se coactum retinere imperium, ita prouincias inter se diuisit & Senatum, vt huic traderet πρὸ ἀδελφείας καὶ ἰσχυρῶν, sibi autem reseruaret πρὸ ἰσχυρῶν. Hoc praetextu, vt Senatus optima parte imperij fruere, ipse verò labores subiret & pericula: sed re vera vt ille incermis esset, & alienus à bello: ipse verò solus & arma haberet, & milites. Nec alia arte pollicitus se, exacto decennio, etiam suas prouincias redditurum; atque adeo Imperium, & μὴ μὲν ἔργον ἐπιπέσει τὸ τοῦτο. Imò τὸ ἔργον, inquit Dio Cassius libro 53. καὶ πάλιν καὶ ἀπὸ πάντων αὐτῶν ὁ Καίσαρ, ἀπὸ τῆς καὶ τῆς χερσίνων κινεῖσθαι, καὶ τῆς πρῶτης πρῶτων, αὐτῶν ἰσχυρῶν ἔμειλε: Re ipsa vnus in omnibus rebus & perpetuo habiturus erat imperium, cum & pecuniam, & milites in sua haberet potestate. Quare certum, nunquam post Iulium fuisse Rempublicam Senatum: quicquid Bozius garriat.

XIV. Quid verò prodest extinctum fuisse siue à Theodorico, siue ab Atila Senatum? Primò enim, quo iure occuparunt Cardinales Senatus locum? Aut cur non potius curarunt nouum Senatum eligi: quomodo tandem in Imperij partem occidentalem vocatus est Carolus Magnus? Nam ita oportuit potius, quam homines vocatos ad Ecclesiae curam, affectare dominium Reipublicae. Imò quis constituit? vbi tabulae? Aut, si fingit Bozius, quanta haec audacia est?

XV. Secundo, ex ipso facto arguuntur non successisse Senatu Cardinales. Nam quae prouinciae erant ab Augusto relictae Senatu, has Dio numerat Africanam, Numidiam, Asiam, Graeciam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Cretam, Africam, Cyrenaicam, Bithyniam, cum Ponto finitima, Sardiniam, Hispaniam Baeticam: postea tamen Dalmatiam permutatam Cypro & Gallia Narbonensi. Atqui ex his omnibus prouincijs nulla est, quae post illud Senatus excidium, Cardinales potius sint. Nam Gallia Narbonensem Rex nollet sibi summo iure vendicat. In Sicilia ius idem obtinet Hispanus: ob id infensor Baronio: nec, credo, facile cessurus Baetica. Reliquas partim Gotti occupauerant: partim Imperatores Graeci tenuere.

XVI. Tertio, quid tum si defecit Senatus? At Imperator supererat cuius erat Imperium, etsi in Oriente federet. Iam ergo, etsi concederemus verissimiliter Cardinales substitutos Senatu: quae tamen ratio fert Papam successisse Imperatori? Nam hoc necessè est: maximè quum agatur de Imperio Occidentis: quem pene totum sibi Augustus reseruauerat: nimirum, excepta Sardinia, Hispania Baetica, & Gallia Narbonensi. Vnde illo Senatus iure, Papa, si non successit Imperatori, nihil habet dominij in Germaniam vniuersam, in Hispaniam, in Galliam, in Britanniam, in Italiam, quas sibi tamen in primis arrogat.

XVII. Iam illud, relictam deinceps Romano Pontifici gubernationem vrbis, finitimarumque ciuitatum: etsi videtur non verum, tamen quid ad rem? Immane enim quantum interfit inter dominium, & gubernationem. Deinde inter Romanam, ciuitateque finitimas, & totum occidentem. Imò, si relicta est illi gubernatio: Ergo dominium non erat eius. Neque enim quicumque dicat Imperatori relinqui ab alio gubernationem sui Imperij: aut etiam partem.



partis. Nam illud *relinqui*, significat auctoritatem non suam, propriamque haberi, sed aliunde deferri.

## C A P. XII.

## Exempla auctoritatis Pontificum in Principes ex Veteri Testamento.

I. Sed validissimum Papistis argumentum est ab exemplis; quibus docent Sacerdotum auctoritatem aliquam fuisse temporalem in Principes, etiam summos. Ea colligit Bellarminus libri 5. c. 8. de Pontifice: & Carenius 19. libri 2. Ego distribuo in duos ordines: ut alia sint ex Veteri Testamento; alij ex Ecclesia Christiana. Illa sunt duo tantum, vnum Ozias regis, alterum Athalia; apud Bellarminum. Sanderus tamen addit alia.

II. In primo exemplo sic Bellarminus argumentatur: Si propter lepram corporalem poterat olim Sacerdos regem iudicare, & regno priuare. Ergo propter lepram spiritualem; id est, hæresin modò poterit idem Papa. Probat antecedens ex 5. c. posterioris Paralipomenon. Ozias lepra percussus, à Pontifice est de templo eiectus, & coactus ab vrbe discedere, & regnum filio renunciare. Probat primò fuisse coactum, à Pontifice, ex Leuitici 13. *Quicumque maculatus fuerit lepra & separatus est à arbitrio Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Probat renunciaisse regno, quia eodem capite dicitur habitasse extra urbem in domo solitaria: filius autem eius in vrbe iudicasse populum terræ.

III. Respondeo, primò negari consequentiam: tum quia non est inter Christianos Papa, quod erat Pontifex apud Iudæos: tum quia non legitime concluditur à lepra corporali ad spiritualem. Est enim allegoricum argumentum; ac proinde non necessarium. Apparet è re ipsa. Nam Rex leprosus necessariò cogebatur seorsum habitare: at non hæreticus. Hoc probatur, quia olim Constantius, Valens, alijq; Imperatores hæretici, nihilominus habitauerunt in medijs urbibus: imò non destiterunt ab administratione Imperij. Præterea, si bona esset consequentia, sequeretur absurdum: videlicet à quolibet Episcopo iudicari, deponique posse Imperatorem. Ratio, quia ius iudicandi de lepra pertinebat non solum ad Iudæorum Pontificem: sed etiam ad quemlibet Sacerdotem. Leuitici 13. *Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepra, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum eius, & ad arbitrium eius separabitur.*

IV. Denique, si fuit ad allegoriam recurrendum, cur ex parte tantum? Nam pro Pontifice Iudæo, Papam, pro lepra hæresin, cum substituit, tum verò regem, & depositionem, retinet ad litteram Bellarminus. Quæ istæ audacia est, aut cur non rex aliquid aliud significauit, puta quemlibet Christianum, cui promissum est regnum cælorum? Cur non etiam depositio, aliquid aliud, puta eiectionem in tenebras, ubi erit fletus & stridor dentium. Tum enim tolerarems allegoriam quæ inferret quemlibet Christianum, cum in hæresin incidit, ab Episcopo priuari regno cælorum.

V. Hic Bellarminus dupliciter opponit contra Barclaium. Primò. Quomodo figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare in domo solitaria, & negotia regni nulla tractare: in re figurata ponitur rex liberè in vrbe Regia residere, & ius dicere, ut antea faciebat? Secundò, veritas figuræ requirit, ut nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperitur, quam in ipsa figura.

VI. Respondeo ad prius, opus re figuram convenire rei figuratæ, cum figuræ partes omnes exponuntur ad re figuratæ. Ita enim & solere, & debere fieri: ne monstrum sit *in re figurata* constatum: nempe partim allegoricè, partim literale, id est, figura obicitur partim figura, partim non figura, hoc est, humano capiti ceruicem pictor equinam iungere velit. Enimuerò quicquid ad litteram sumitur, id verò figura non est: nam figuratus sensus alienus est à literali. Quare in hoc exemplo, illud de separatione, & depositione, quod ad litteram retinetur, nullo modo esse poterit figura.

VII. Ad secundum: nihil minus, sed aliquid magis esse in re quàm in figura: dupliciter potest intelligi, vel ut quæcunque capita sunt in figura, eadem omnia ad litteram, vel etiam plura sint in re: vel ut figuræ singulis capitibus propositis, alia respondeant similia totidem capitibus figuratæ, & capitibus figuræ grauiora. Hoc sensu concedimus quod Bellarminus dixit: & pulcrè conuenire defendimus nostræ allegoriæ: quia in figura hæc sunt capita, Rex, lepra, Sacerdos Iudæus, separatio, depositio. At in re figurata, Christianus, peccatum, Episcopus, excommunicatio, priuatio regni cælorum. Ergo totidem capita capitibus respondent: & quidem grauiora leuioribus. Itaque non est hæc parte, quod nostram fugillet allegoriam. Alter sensus negatur. Nam, ut exactè figura respondeat, non debent eadem esse capita ad litteram: aliàs nihil figuratum esset: non etiam plura, aliàs non esset similitudo.

VIII. Secundò, respondeo negari antecedens. Bis enim falsum sumi. Primò, Regem eiectum de templo à Pontifice. At hoc nusquam Scriptura dicit: sed potius Regem territum plaga sua, exisse, quum ante plagam non tantum nollet exire, sed etiam Sacerdotibus minaretur, *Obstiterunt regi Sacerdotes atq; dixerunt: Non est tuum, Ozia, adolere Domino: sed Sacerdotum filiorum Aaronis, qui consecrati sunt ad adolendum: Exi à sanctuario: nam prauaricatus es: neque futurum est tibi gloria à Domino Deo. Tum indignatus est Ozias, habens in manu sua iussumentum ad adolendum: quumq; indignaretur contra Sacerdotes, lepra exorta est in fronte eius coram ipsis Sacerdotibus Domini ab altari iussus. Et respexit ad eum Azarias Sacerdos summus, cum omnibus reliquis sacerdotibus. & ecce leprosus erat in fronte sua. Itaq; instabant ut abiret inde: & ipse impellebatur ad egrediendum: quid plaga afficiebat eum Dominus. Ergo instabant quidem Sacerdotes, ut exiret: sed vi non extruserunt. Hebraice legitur *וַיִּבְדְּלוּ לְוָדוֹ מִן הַמִּזְבֵּחַ*: Vetus Interpretes, *festinato expulerunt eum*: Munsterus, *Tremellius, deturbauerunt*. Sed melius Pagnanius, *Festinanter egressi fecerunt*. Nam certè verbum Hebræum nullam significat vim illatam. Hebræi quidam exponunt *terrere, errore afficere*. Sed non videtur. Nam Esteræ *וַיִּבְדְּלוּ לְוָדוֹ מִן הַמִּזְבֵּחַ* Et festinarunt adducere Hannan: ubi quæ textoris significatio esse potest? Melius Chimi in radicibus, *וַיִּבְדְּלוּ לְוָדוֹ מִן הַמִּזְבֵּחַ*.*

IX. Nam quod probat Bellarminus non sponte exisse: ex illo loco Leuitici: respondeo; primo spontanea illa negari, quæ non tantum non sunt vi aperta, & violentia. sed etiam quæ contra animi motus primos. Si crediderim non sponte Regem egressum: non quod violenter expulsus à Sacerdotibus, sed quia ipse se inde proripuerit, dolens, & iniustus: atque adeo instantibus Sacerdotibus. Sed secundo nego id ipsum probari ex eo Leuitici loco. Nam primo illud, *Separatus est ad arbitrium Sacerdotis*, non est exactum ad veritatem Hebraicam. Moses dixit, *Omnis leprosus, immundus est: Contaminando contaminabit eum Sacerdos: in capite eius, plaga eius: ubi nihil de separatione: sed tantum de contaminatione; cuius denunciatio ad Sacerdotem pertinebat. Secundo, Bellarminus duos versus non tantum distinctos, sed etiam separatos, copulauit: nam illud, *Solus habitabit extra castra*, postea legitur, ubi nihil de Sacerdote aut eius iudicio arbitrio. Nam post sententiam Sacerdotis, quæ declaratur, quis est leprosus, tum quid eo faciendum, declaratur, *Quandis plaga erit in eo, immundus erit: solus habitabit: extra castra erit habitatio eius*. Non sequitur autem hoc fieri arbitrio Sacerdotis, hoc est, Sacerdote sic decernente: et si fiat post Sacerdotis sententiã de lepra. Quomodo inter Papistas, et si exurantur hæretici, post hæreticationem, ita enim loquebantur olim: tamen ipsi Theologi, quorum est pronunciare de hæresi, non ad iudicant igni: sed amandant ad brachium seculare. Et hodie de lepra pronunciant Medici: at separationem Magistratus decernit.*

X. Secundo, sumitur falso Oziam solio suo deturbatum, id est, priuatum fuisse auctoritate regia. Res non est difficilis. Primo punitus est Ozias lepra propter attentatum Sacerdotium. At separatus à consortio populi, non propter Sacerdotium attentatum, sed propter lepram: itaque secundum legem Moysi. Atq; lex Moysi neminem leprosum, vilo suo iure priuare: sed tantum communi locietate. Ergo & Oziam similiter. Secundo, hæc ipsa separationis pœna, non erat ex sua natura perpetua: sed tandiu duratura, quandiu lepra. Poterat autem lepra sanari: ac tum ille restituebatur in integrum. Depositio autem regni, non potest esse temporalis. Itaque Sacerdos modum excessisset.

XI. Præterea Scriptura nihil habet huiusmodi. Imo contra dicit. Ita enim legitur, *Fuit igitur Ozias rex leprosus usq; ad diem mortis sue, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quã cecidit fuerat de domo Domini. Porro Ioatham filius eius rexit domum regis: & iudicabat populum terræ. Dormiuitq; Ozias cum patribus suis: & sepeluerunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus: regnauitq; Ioatham filius eius pro eo. Viginti quinque annorum erat Ioatham cū regnare cepisset: & sedecim annis regnauit in Hierusalem. En tiberem geltam. Nota: separato Ozia, Ioatham rexisse domum eius. Hebraice, *וַיִּתֵּן בְּנוֹ עַל בֵּית הַמֶּלֶךְ* Et Ioatham filius eius super domum regis. At hoc certe non est regem esse. Nam eadem phrasis vsurpatur de Bliakim poster. Regum. 10. & de Sobna Esaiã 22. Deinde initium regni Ioatham computatur à morte Patris. Patet ex supputatione annorum posterioris Regum 15. Nam quum quinquaginta duos annos regnasse dicitur Ozias, qui & Azarias, tum vero annus quinquagesimus secundus notatur primus regis Phacee in Israele. At secundus Phacee primus Iotami. Ergo pater ad mortem vsque rex fuit, non autem eo viuo filius. Vnde oportet sensum esse, Iotam, dum pater leprosus fuit, præfectum fuisse rebus gerendis, seruata sâmen pater maiestate regni.*

XII. Hic Bellarminus respondet contra Barclaium, Ozia relictum solum nomen regum, ac non auctoritatem. Probat ex Iosephi 9. Antiquitatum, c. 11. priuatum vixisse in domo solitaria, & filium Remp. administrasse. Ex Scriptura: quæ filium ait iudicasse populum terræ, non addito iussu patris.

XIII. In d. inquam, ius regium Ozia referuatum, sed functiones mandatae filio, quibus pater non sufficiebat. Quomodo aliàs sæpe fit, vel propter aetatem, vel propter morbum, vel propter absentiam. Nam, et si hodie Rex noster Ludouicus decimus tertius, nullam partem tractet Reip. tamen non nomine tantum, sed etiam re ipsa rex est Gallorum. Sic Carolo sexto suffecti auunculi ob phrenesin: sic Ioanne in Anglia captiuo, Carolus filius regnum administravit. Nec tamen aut Carolo, aut Ioanni dignitas regia abrogata. Omnia ita accidit Ozia. Cum enim ab omni Iudæorum commercio segregatus esset, manifestum est, non potuisse ab eo rebus prouideri publicis. Itaque eius partes filius obuiuit. Sed ut notaretur ipse Rex non esse, præfectus dicitur domui regis, non suæ, inquam, sed regis.

XIV. Nec contra probat Bellarminus. Nam quis est Iosephus, cui plus deferamus, quàm Scripturis? Scripturæ autem dicunt quidem Iotam iudicasse populum terræ. Sed quis nescit *וְיִיָּדַע לְיָדוֹ* iudicare, non de regibus tantum dici: verum etiam de iis qui à regibus præficiuntur litibus discernendis? Quamquam Iosephus dixit tantum *וַיִּיָּדַע לְיָדוֹ בְּיָדוֹ בְּיָדוֹ* priuatum vitam auxisse, nimirum sequestratà à negotiis. Filium verò *וַיִּיָּדַע לְיָדוֹ בְּיָדוֹ* quod cur non significet curam regni, etiam sine nomine? Quid tum autem, si non additum, iussu patris? Aut cur non sufficit loco patris? Hoc autem satis clarum: cum præfuisse dicitur palatio. Non enim id potuit, nisi precaria auctoritate.

XV. Sequitur alterum exemplum 2. Paralipomenon 23. Athalia Ioiadas Pontifex occidit iussu, quæ tyrannicè regnum occupauerat, & fouebat cultum Baal. Proque ea Ioas regem creauit.

XVI. Nihil est difficile. Athalia, mulier scelestissima, ad quam nulla pars regni pertinebat, eodibus grassata in genus regum, solium inuasit: vni Ioas crudelitati muliebri eripitur solertia Iosabetæ, vxoris Ioiadæ summi Pontificis, quæ eadem soror erat patris pueri, quem Pontifex apud se clam habebat annos quinque, tandemque sexto restituit in solium, occisa Athalia. Et quidem communi consilio Centurionum, Leuitarum, Ciuitatum, & Principum populi. Itaque primò, negatur depositum fuisse regem, sed expulsam mulierem nefariam, ex solio quod illa inuaserat. Secundò, nego factum auctoritate pontificia: sed communi consilio. Tertio nego factum ob idololatram.

XVII. Instat Bellarminus, & primò Athaliæ regnum tyrannicum fuisse concedens initio, tamen fuisse approbatum consensu populi, cum annos sex regnauit. Sic autem sæpe fieri, ut in Augusto, Ottone, Vitello, Philippo, alijs. Secundò, id scriptum: *Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos. Conuocatos autem Centuriones, & principes, quia solus non posset Sacerdos opus perficere. Tertio, scriptum, Ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam: & altaria, & simulacra illius confregerunt. Matan quoq; Sacerdotem Baal, interfecerunt ante aras.*

XVIII. Re-



XVIII. Respondeo ad primum, supponi consensum populi, non ostendi. At contra verisimile est populum, destitutum regia stirpe, nihil esse ausum...

XIX. Ad secundum: non nego gestam hanc rem esse autoritate Ioiadae Pontificis: nam id Scriptura satis testatur: sed negavi autoritate Pontificia...

XX. Ad tertium: etsi non est in eo magnum momentum, tamen nusquam Scriptura docet idololatriam causam esse huius facinoris. Neque Ioiadas eam...

XXI. Hae erant exempla Bellarmini. Sanderus addidit, Saulis reprobati, Davidique in eius locum vincti a Samuele. Et Ieroboami, cui ab Ahia...

XXII. Respondeo, primo ad Prophetas ad Romanum Pontificem esse nimum quam immaem hiatum: vt non possit de isto concludi, idem quod...

CAP. XIII.

Exempla autoritatis Pontificum in Principes ex Historia Ecclesiae Christianae.

I. VEnio ad alterum ordinem exemplorum, ex Historia Ecclesiae Christianae. Esto hoc primum Ambrosius Episcopus Mediolanensis, propter eadem Theodosianum excommunicauit Theodosium Imperatorem...

II. Respondeo, non Ambrosium tantum, sed etiam posse nominari Babylam Antiochenum, qui ipse etiam, si Chrysostomo fides, libro contra Gentiles, Imperatorem...

III. Rursus, res ipsa docet Ambrosium nullo vsum gladio centropotati, sed tantum spirituali: Doceo duplici argumento. Primo, quia nihil Ambrosius fecit, quod excederet censuras Ecclesiasticas...

IV. Ad haec in eadem historia audio semper distincta iura Regis, & Episcopi. Paruit Theodosius, quia haecei pna rpr tan teron, lra de tan bus...

V. Quid hoc exemplum ad insolentiam immanis bestiae Gregorii septimi, qui ob eadem vnus hominis, Boleslaum, & Poloniae regnum omni honore, dignitate, & excellentia regali priuauit...

VI. Atqui, inquit Bellarminus, non potuit excommunicare, nisi cognita causa. Esto, inquam. Quid tum? Causam cognoscere non potuit, nisi fuerit Theodosii iudex in foro externo...

VII. At coegit legem publicam ferre? Hoc verò negatur: autor fuit ferendi: sed non coegit. Rogauit Imperator sibi non claudi ianuam, sed pna...

VIII. Agnoui tandem monente Barlaeo hae rationum momenta Bellarmini: itaque confessus est se hoc exemplum prolatum aduersus eos, qui negant Principem supremum excommunicari posse a Pontifice summo...

IX. Ambrosium Gregorius eius nominis primus sequitur. Is in privilegio, quod concessit monasterio S. Medardi, & habetur in fine Epistolarum...

X. Euge! Ita enim oportuit tyranni dem imposturae fulciti. Nam hoc privilegij diploma, mera est fabula. Falsitatis argumenta accipe. Primum, annus Christi adscriptus, quingentesimus nonagesimus tertius...

XI. Secundo, testatur hoc privilegium concessum, iuxta Filiorum nostrorum ipsa verba describo: praeclentissimorum Scripta regum, Brunehildis ac nepotis eius Theodorici. Quare hoc scriptum oportuit post mortem Childerberti patris, quae tamen accidit, anno eius seculi nonagesimo nono...

Vertical text in the left margin, partially cut off, containing various notes and references.



ad suum regnum non pertinebant? Curasse autem dico? Imo autoritate vsum sua? Nam in eo privilegio quædam concessa dicuntur à Brunehilde, quæ non potuerunt esse nisi ab autoritate regia.

XII. Tertio, ibidem hæc leguntur. *Caveant præfati Monachi Simoniacam hæresin, ne potentia regum vel antistitum conuincti, loco pastoris suscipiant tyrannum.* Hæc vero verba quis non aduertit redolere ea tempora, quibus tantæ sunt excitatæ contentiones contra Imperatores, ob inuesturas? Quæ tamen multo sunt recentiora, quam vt ascendant vsque ad Gregoriū eius nominis primum. Et cur prohibeat id ipsum quod ipse admisit? Est enim confirmatus ab Imperatore.

XIII. Quarto testium adscripta nomina, fabulam indicant. Primo, quia ambitiose affectatus est numerus ex omnibus, vt ita dicam, occidentis partibus: ex Italia multis: ex Sicilia, Syracusano, ex Gallia, Arelatenſi, Burdigalensi, Vesuncensī, Augustodunensī, Rhemenſi, Sueſſenſi. Ex Africa, Carthagenensī. Ex Anglia, Canthuariensī, Lundeniensī: Diceres rem magnam agi, & fidei aliquem articulum vindicandum contra hæreticos, vt Synodo Oecumenica opus esset. Secundo: sunt etiam nomina absurde conquisita: quod iam obseruauit Baronius. *Siquidem, inquit, cōplures Episcopi, post aliquot ab hinc annos creati noscuntur. velut inter alios Augustinus Episcopus Cantuariensī, & Mellitus Lundeniensī: quos constat neq; hoc tēpore profectos esse in Angliam.* Adde Mariniū Rauennatensem, electum biennio post, apud Baronium anno quinquagesimo nonagesimo quinto. Adde Ioannē Syracusanū, cuius prædecessor Maximilianus obiit anno nonagesimo quarto. Adde rursus Theodoricum ipsum regem: qui eo tempore vix potuit excessisse infantie annos: relictus pupillus a patre annis sex minimū; post hæc gesta, si gesta. Hęc testium absurditas Baronium coegit, acutum scilicet commentum excogitare: vt sunt hoc genus homines trices ne tendis exercitissimi. Nempe igitur censet subscriptiones post additas. Egregie: vix potuit certius ac rem tangere, Omnia ita est: longe post ea tempora hoc quidquid est, constat est: & additi testes pro arbitrio, ab eo qui verisimilitudine sola voluit posteris imponere. Iudicent Triboniani.

XIV. Hactenus de Gregorio. Sequuntur alii. Gregorius secundus prohibuit Leoni Iconomacho solui vectigalia ab Italis: itaque priuauit eū parte Imperii. Zacharias, deposuit Childericum, successit in eius locum Pipino. Leo tertius, Imperium trāstulit à Græcis ad Germanos. Gregorius quintus, sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem principes. Gregorius septimus, Henricum quartum deposuit, & alium eligi iussit. Innocentius tertius Ottonem quartum. Innocentius quartus, Fridericum secundum. Clemens sextus, Ludouicum sextum.

XV. En tibi profectum Ecclesiæ Romanæ! Sedit Gregorius secundus anno septingentesimo decimo quinto. Clemens sextus anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo. Sieque seculis septem integris ne vnū quidem Papam nominare potuit, qui sua sit vsus potestate seculari in Imperatores, aut Reges: deinceps turmatim recenset. Neque eos tantum, quos Bellarminus ostendit: sed recentiores multos: Iulius secundus, Ludouicum nostrum duodecimum aggressus est, & Ioannem Nauarrenum. Tum vero Sixtus quintus, infurrexit in Henricum tertium & quartum. Sed hos credo consultum duxit Sophista silentia inuoluere: quia eorum conatus in aeruum euasit.

XVI. Sed hæc & quingenta similia facile discutuntur. Sunt enim exempla Pontificum, qui longè excedentes primorum humilitatem, nihil iam animo concipiebant minus vniuersali tyrannide, temporibus insigniter abusi, vt ne sibi deessent. Tum enim hæc sunt ausi, cum viderunt Imperatorum autoritatem pessundatam, adeo vt impune posset eis insultari. Sub Gregorio secundo vix erat Imperatorum nomen cognitum in Germania & Gallia. In Italia Longobardi omnia misere vastabant. Facile ergo fuit id Gregorio, quod si Siluestro, si Iulio primo, si Liberio venisset in mentem, luissent pœnas. Itaque vide astutiam: priuauit Leonem non imperio, sed partē Imperij. Qua autem parte? Italia. At cur non Græcia? Nimirum fuit curta supellex. Non tam infirmus in partibus Leo. Similiter cum in Gallis Childerici nomen esset apud omnes odiosum, tum precibus Gallorum Zacharias facile flexus est: & effecit vt Pipino locus esset vacuus. At non ita Iulio successit in Ludouicum duodecimum, non Sixto in Henricum tertium, & quartum. Et Clemens ille septimus, idem non est ausus in Carolum quintum, quod Gregorius septimus in Henricum quartum. Nempe sic latrones, viatorem solitarium & armis destitutum spoliant at bene comitatum, armatumque, etiam saluant. Videte, quanti vestra interfit, Principes.

#### C A P. XIV.

##### Papa auctoritatem temporalem num habeat iure humano.

I. Hactenus Theologorum Papisticorum, & Canonistarum fuere argumenta. At nos contra. Si Papa haberet summam potestatem temporalem in reges, vel omnes, vt volunt Canonistæ, vel Christianos, vt Theologi: Ergo haberet iure vel humano, vel diuino. At neque humano, neq; diuino. Ergo non habet. Dilemma est necessarium: nisi forte nullo iure habere se dicat: quod nos facile concesserimus. Sed si iure: ergo omnino alterutro, vel diuino vel humano: non datur enim tertium.

II. Assumptum probandum per partes. Primò igitur: si iure humano; Ergo, vel ab iis, in quos est ea summa potestas: vel vi, id est, bello. At neutrum. Ergo omnino non iure humano. Non bello. Nam si bello: oportuit à Papa victos omnes reges: aut aliquos tantum. At non omnes, vt manifestum est ipsa rei veritate. Nam, exempli gratia, Papa nunquam vicis Turcarum Imperatorem, aut Sophin Persicum: Itaque hoc saltem iure non habet potestatem in omnes reges terræ. Non vicit etiam Reges Angliæ, Galliæ, Hispaniæ. Ergo ne in omnes quidem reges Christianos. Quod si vicit tantum aliquos: primò essent hi nominandi: secundò ergo falso iactat se habere hoc iuris in omnes. Haberet enim tantum in eos paucos, qui essent victi.

III. Deinde, si haberet eam autoritatem solo belli titulo: ergo haberet iniuste. Non quia non possint iuste possideri ea quæ bello parata sunt, sed quia id bellum esse iustum. Est autem iniustum bellum, quod geritur pro ambitione tantum. Deinde illud etiam iniustum est, quod geritur ab eo cui belli

gerendi nulla est legitima potestas. At persona Ecclesiastica, (talem autem sese Papa vult videri) nullam habet legitimam potestatem belli gerendi. Nam & apud ipsos Papistas Prouerbum est, Ecclesia non nouit sanguinem.

IV. Tum verò altera saltem opinio, id est, Theologorum, esset absurda, & illa Canonistarum verior. Nam qui bello vincunt, summam autoritatem habent in victos directè. Sic enim constitutæ sunt iam olim Monarchiæ. Sic Iudæi bello victi, fuerunt redacti in Prouinciam, factique tributarij: amissa etiam potestate in vitam ciuium. Ioannis 18. *Nobis non licet interficere quemquam.*

V. Superest ergo, vt habeat ab iisdem in quos est ea summa potestas. Quod si est, tum vel à populis, vel à dominantibus. At non à populis: quia hi vel sunt domini, vel subiecti: Domini, vt in Democratia: Subiecti, vt in Aristocratia, & Monarchia. At non habuit à populo dominante. Primò, quia tū non esset autoritas nisi in paucos. Raræ enim sunt iam pridem Democratæ, eaque tenuissimæ. Itaque nihil esset, quo se tantum extolleret Romanus. Deinde, nulla apparet Democratia subiecta autoritati Pontificis in temporalibus. Multo autem minus à populis subiectis: horum enim non est, maiestate Reipublicæ vt pro arbitrio: sed subesse iis penes quos illa est.

VI. An igitur habet à dominantibus? Minimè verò. Non enim à dominis Aristocraticis. Primò enim non esset vniuersalis potestas: quia iam pridem paucissimæ sunt Aristocratæ, eaque exiguæ, vna excepta Veneta. Secundo, ipſius Venetæ exemplo apparet falsum. Nam ea his annis proximis, satis declarauit se in temporalibus nullam agnoscere Romani Pontificis autoritatem. Quantumuis & Baronius, ac Bellarminus scripta multiplicarent; & Episcopus Romanus, eumque; eo Hispanus arma ostentarent.

VII. Superfunt Monarchæ. Ab his verò quis credat translatum vltro à se in Papam imperij Maiestatem. Primò de infidelibus non est dubium. Itaque in eos nullam habebit autoritatem: aut si habet, vt volunt Canonistæ, necesse est habere alio titulo. Et puto suæ ipsam potius ab illis timere autoritatem, quam illos ab eo. Certè Turcam non valde mouent Vaticana fulmina.

VIII. Fortè ergo Christiani. An Galli? Nimirum Philippus ille Pelcher cessit Bonifacio: cum scripsit, *Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse: secus credentes fatuos reputamus ac demones.* Aut eius successores, qui etiam hodie constanter suam maiestatem tuentur nullius arbitrio suppositam. Nec patiuntur aut vlla diplomata Curie Romanæ publicari, nisi prius visa, & examinata: additòque suo consensu. Imò neq; Legatos à Latere, vlla autoritate sua rem gerere, nisi accepta venia, mandatis prius communicatis cum Procuratore fisci, confirmatisque à Senatu. Hoc vide prolixius apud Vignierum in Epitome historiæ Ecclesiæ, circa annum millesimum quadringentesimum octogesimo.

IX. Imò Ludouicus duodecimus, cum sibi à Iulio videret exhiberi negotia; Concilium Ecclesiæ Gallicanæ conuocauit apud Turones: ibique audiit pronunciatum: Non licere Pontifici Romano armis persequi principes temporales, extra dominium Ecclesiæ. Et si quem vexare attentet: licere ei principi, ad hanc propulsandam iniuriam, inuadere terras Ecclesiæ. Vide Ioannis Serrani Inuentarium historiæ Gallicæ in Ludouico duodecimo.

X. Anno decimi sexti seculi sexagesimo primo; cum, Theologorum quorundam malè consultorum impulsu, quidam, Ioannes Tanquerellus nomine, studij Theologici candidatus, capita quædam ad periculum industriæ faciendum disputanda proposuisset, inter quæ alia, hoc adscripsisset Pontificem, tanquam solum Christi vicarium, & Ecclesiæ Monarcham, potestati spirituali, & seculari omnes fideles subiectos continere principes, suisque preceptis regno ac dignitatibus exuere posse. Hoc ad regem delatum (is erat Carolus nonus) cum ad seditionem, & legitimum obsequij, quod Regi ac magistratibus debetur, fidem labefactandam spectare videretur, Senatus decreuit, vt Tanquerellus multa honoraria puniretur: pronunciatèque, quia absens, per apparitorem facultatis Theologicæ, temerè & inconsideratè eam quæstionem agitatum fuisse: ac denique veniam admissi peteret à Rege. Inhibuit ne eiusmodi quæstiones in posterum à Theologis mouerentur. Atque adeo re ipsa factum, vt Petrus Bustus Tanquerelli nomine errorem à Bonifacio octauo inuectum, & post eius mortem passim damnatum, stans iudicio capite ignominiosa confessione recantauerit. Recitat Augustus Thuanus historiæ libro 28.

XI. Quid plura? Ne quis forte improbari tantum Canonistarum sententiam putet, hoc ipso anno, cum hæc scriberem, damnatus est ab eodem Senatu Bellarmini contra Barclaium tractatus de Potestate summi Pontificis in rebus temporalibus, grauissimo edicto, quod etiam typis est excusum: quo edicto hæc ipsa Theologorum sententia, quæ eam potestatem non agnoscit nisi indirectè, damnata est, tanquam fax seditionis, scaturigo rebellionis.

XII. Et, vt videas, quàm sit natura infusus Gallis amor in Principes, quàm carus Maiestatis amor, anno eiusdè seculi nonagesimo quinto, quum omnia arderent bello illo ciuili, quo penè in gratiam Pontificis regnum est in cineres versum, tamen Cardinalis de Pelleue, ipse vnus ex coniuratis & quidem præcipuis, in ordinum coniuratorum conuentu Parisiis, articulum illum Tridentinum sessionis 25. cap. 19. quo statuitur priuari Regem ciuitate illa, locoue, in quo permiserit duellum, pronunciauit esse contra autoritatem regis, qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem agnoscit. Recitat Rogerus Vuidringtonus in Apologia Bellarmini §. 31. Ergo, inquam, nihil hæc quidem parte habet Papa de consensu Regum nostrorum.

XIII. An igitur Imperatorum? Non certè Friderici primi, cognomento Barbarossæ: ad quem cum Adrianus quartus legatos misisset, Imperium exprobrantes beneficium acceptum Romanæ Ecclesiæ: tum, qui cum eo principes, fremere, indignari, tumultuari, nec ferendum ducere: ab ipsis legatis vix manus abstinere. Ipse autem Imperator per vniuersum Imperium literis circularibus testari, diuina potentia, à quo omnis potestas in cælo & in terra, sibi Christo eius, regnum & Imperium regendum esse commissum: item à solo Deo per electionem Principum Imperium suum esse. Ac tandem. *Quicumque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, diuina institutioni, & doctrina Petri contrarius est, & mendacius reus erit.* Hæc constantia mouit Papam; imò terruit iam sibi paratum bellum: euenit enim: quare scripsit ad Episcopos Germaniæ de mitigando Imperatore. Illi rescribunt.



bunt; Verbis illis qua in literis vestris continebantur, comota est vniuersa Resp. Imperij nostri: aures Imperialis potentia ea patienter audire non potuerunt, neq; aures Principum suscipere: omnes ita continebant aures suas, quod nos, salua gratia vestra sanctissima paternitatis, ea tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare, nec audemus, nec possumus: eo quod insolita, & inaudita fuerunt vsq; ad haec tempora. Tandem auctores sunt, vt Imperatoris iram nouis literis delinuat. Factum: & beneficium, expositum, non feudum, sed bonum factum: & conferre coronam, imponere: quasi dixisset, bene a se factum, quod coronam imposuisset Friderico. Quineviam legati, eas literas deferentes, salutant tanquam Dominum & Imperatorem vrbis, & orbis. Historiam habes apud Ottonem de sancto Blasio, c. 7. & 8. Appendicis: Radeuicum de gestis Friderici primi libro 1. Baronium anno duodecimi seculi quinquagesimo septimo.

XIV. Nec puto Henrici quarti consensum posse obici, qui si quis fuit, tot bellis, tantisq; sceleribus extorquendus fuit. Ne Henrici quidem quinti, qui etsi contra Patrem Pontifici militauit, tamen ipse etiam tandem sua iura armis tueri coactus fuit: Quamquam de Imperij maiestate non dum agebatur: sed de inuestitura Clericorum. Quid omnia colligam? Carolum certe quintum non apparet gessisse se erga Clementem, pro subdito.

CAP. XV.

Non constare ex Scripturis auctoritatem Papae temporalem.

I. Verum non videntur de iure humano contendere: sed potius diuino. At nos hoc potissimum negamus; nam humani iuris speciem aliquam scimus obtendi posse, saltem in aliquot regnis. Itaque de diuino securius disputamus: quia hoc, quicquid est, Papista vendicant praetextu Ecclesiae: hanc autem non regi nisi iure diuino certum. Hic vero veniam poscepios viros & Catholicos, si de iure Episcoporum disputem. Non enim fisco, quod Romanum agnoscant vere Episcopum: sed quia ita necesse est omnem praetextum amputari. Nam latuam detrahi alius est operae.

II. Primum tabulas postulam. Est enim indignum tantam rem, tam necessariam in Ecclesia, nullo Scripturae testimonio firmari. Certè, si voluisset Christus Petrum temporalem potestatem obtinere, vna cum spiritali: quomodo hanc ille diligenter, & diserte, & iudicialiter, & non semel expressit: expressisset & illam. At non expressit. Ergo hanc illam habere noluit. Facilis consequentia, & per se nota. Confirmatur autem ab ipsis aduersariis, qui hoc medium necessarium asserunt regendae, conferendaeque Ecclesiae: imò causam assignant, quae primis Ecclesiae seculis, Imperatores etiam Ecclesiae incommodos, tolerari oportuerit, defectu huius potentiae. Quoniam enim potentissimi erant (inquit Bellarminus contra Barclaium c. 3. §. 9. *seueritatem ostendere nihil profuisset: ideo patientia potius adhibenda fuit quam auctoritas.* Confirmatur item exemplo Bellarmini, qui hac ipsa consequentia impugnat Papae dominium totius Christiani, c. 3. libri 5. de Romano Pontifice.

III. At assumptum ipsa constat experientia. Nam si hanc potestatem atque Christum expressisset, ac alteram; certe quomodo de altera loci sunt disertis, *Quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in caelis*, Matthaei 16. & 18. *Quaecumq; ligaueris in terra, erunt ligata in caelo.* Ioannis 20. *Pax eo uos meae: ita etiam de temporali posset saltem vnus aliquis legi. At hoc minime. Nam illa de duobus gladiis: & de gladio mittendo in vaginam: tam sunt aliena, tam ridicule detorta, vt nihil magis.*

IV. Nam quod Bellarminus contra Barclaium capite quinto, illud de clauibus non definit virgere, primum excussum est c. 2. deinde, quid est quae? *Intelligitur, inquit, potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus regnum caelorum, vel impediunt atq; obstant, ne aperiatur.*

V. Sed interrogo, quae id intelligat ratione: vtrum ne ex vi ipsorum verborum, an potius ex rei consequentia? Quamquam de vi verborum, non est opinor, quod interrogem: Clauis enim, spirituales sonare consentiunt omnes: & ipse Bellarminus hoc ipso loco negat intelligi clauis regni terrarum. Ergo restat consequentia, & huius vim totam Bellarminus collocat in utilitate ad aperiendum, claudendumve fidelibus regnum. Hoc autem ad redire viderur, quod vulgo dicunt, eum, qui vult finem, velle & subordinata ad finem. At ego dico haec subordinata esse in duplici differentia, vt fiat quaedam necessaria, quaedam vtilia duntaxat. Necessaria ea sunt, sine quibus finis esse non potest, vt sine fundamento teetum: sine cibo vita corporis: sine armis regnum. Tantum vtilia, quae ita sunt, vt sine iis finis esse possit, sed non aut eo modo, aut aequae commode: vt vna absque laetitias: respública absque palatijs: teetum absque laquearibus. De necessarijs conceditur consequentia: sed de vtilibus negatur. Non enim necesse Deum, quum Lazarum voluit viuere, etiam laetitias ei concedere quomodo diuiri. Nec Nomadibus palatia fuere, quomodo Romanis.

VI. Iam vero potestatem secularem, vtilem esse regno caelorum aperiendo, non negem. Paulus enim docuit precandum pro regibus, vt tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate: 2. prioris ad Timotheum. Et ipsa docet experientia, longè fuisse comodius Ecclesiae sub Constantino, quam sub Diocletiano. Sed esse necessariam, ita vt esse nulla possit Ecclesia absque potestate seculari, hoc vero negatur. Fuit enim Ecclesia, & Ecclesia absque potestate seculari, hoc vero negatur. Fuit enim Ecclesia, & Ecclesia absque potestate seculari, cum extra eam prorsus esset potestas secularis: nec extra eam tantum: sed etiam contra eam. Quod non est necesse multis docere. Est enim omnibus notum: aut nemini notum est esse Ecclesiam.

VII. Quare, quemadmodum non est necesse patremfamilias, cum sibi vult aedificare domum, vna cum fabricis, etiam pictores locare: ita nec Deum, ad Ecclesiam in orbe colligendam, vna Episcopos & Imperatores, Regesve conuocare. Alioquin Ecclesia non fuisset illa, de qua dictum, Lucae 10. *Conuocato tibi, Pater, Domine caeli & terra, quod haec absconditis à sapientibus & intelligentibus.*

VIII. Quod si necesse non est, vt sit Ecclesia, conuocari & Episcopos, & Reges: certe multò minus necessarium, eisdem fieri & Episcopos & Reges. Nam eum, qui finem sibi aliquem proponit, fatemur posse non tantum necessarium, sed etiam vtilia sibi animo proponere: vt patremfamilias in aedificanda domo, & fabros, & pictores conducere: sed vt sint iidem numero &

fabri & pictores, hoc vero nihil est necesse. Quare, non tantum non fuit necesse Deum & Episcopos & Reges conuocare ad Ecclesiam constituendam; sed etiam cum constitutam Ecclesiam voluit etiam commode in mundo degere, proptereaque in eam induci regiam potestatem, negamus fuisse necesse, vt hanc ille tribueret Episcopis. Sed, quomodo in domo, non tantum aedificanda, sed etiam ornanda, alij sunt fabri, alij pictores, & personis, & munitibus discretis: sic in Ecclesia constituenda, & quidem commode constituenda, nihil obstat alios esse Episcopos, alios principes, non personis, sed etiam functionibus separatos.

IX. Quare, etsi per clauis, intelligatur potestas aperiendi claudendique regni caelorum: & potestas secularis, disponendi de temporalibus, iuuat ad aperiendum fidelibus regnum caelorum: tamen negamus inde concludi, concessis clauibus, concessam fuisse etiam iisdem personis potestatem disponendi de temporalibus.

X. Quod quidem vel caecus videat. Nam potestas illa disponendi de temporalibus, vtilis aperiendo regno caelorum, quare quomodo sit intelligenda. Remota ne, an propinqua; Hoc vero clarum. Nam ornanda domui vtilis est pictor: non is qui potest acquirere facultatem pingendi: imò ne is quidem qui habens in se habitum pingendi, tamen manibus orbatus est, aut oculis, quibus necesse est picturam fieri. Similiter, si is vtilis est aperiendo caelo, qui potestatem habeat disponendi de temporalibus: tum non is intelligendus qui possit quidem ea vti potestate, si habeat: sed is qui re ipsa habeat, & vtatur. Quomodo vtilis olim fuit Ecclesiae Constantinus, non quum obfess Romae detineretur: sed cum post mortem patris, ipse potius est imperio. Quod si ita est, quid obstat quominus illud diceremus fuisse Ecclesiae, quando Apostolis clauis concessae, cum tamen potestas illa propinqua disponendi de temporalibus non fuit concessa: sed duntaxat remota aliqua? si tamen & haec: & ita remota, vt actus eius nullus esset futurus, nisi multis post eos denotio seculis? Imò etiam multò melius aedificatam fuisse Ecclesiam à Gregorio septimo fatendum esset, qui Henricum quartum de solio deiecit: nec mortuum permisit humari: quam à Petro, qui sub Nerone pendit in cruce. Aut à Pio quinto, quum duos nostros Henricos hoc suae auctoritatis fulmine, quamquam bruto, deiecit voluit: praestantiorum operam nauatam Ecclesiae Gallicanae, quam à Liberto Romanae, quum abijt in exilium iustus ab Imperatore. Viderint Papista, Nam Catholici non disputant quid sentiantur.

CAP. XVI.

Non habere Episcopos aliam auctoritatem quam habuit Christus, dum esset in terris: quam etiam habuerunt Apostoli.

I. AT qui non tantum non constare à Scripturis, hanc temporalem Papae potestatem: sed hoc amplius dicimus, esse etiam contra Scripturas. Ratio prima: Quaecumque Episcopis est commissa auctoritas, eadem est, quam Christus in terris viuens habuit. At Christus nullam habuit temporalem. Ergo neque Episcopi.

II. Maior, etsi per se est perspicua, tamen probatur Ioannis 20. *Sicut misit me Pater: ita & ego mitto vos.* Hic Maldonatus arbitratur, quam potestatem ipse Christus misisset à Patre accepisset, eam Apostolis dare, quos suo loco mitteret, quos vicarios suos faceret. Ianfenius, Concordiae c. 147. *Apostolorum indicat excellentiam, dum illos in delegato sibi officio pares facit, & vicarios tradita sibi olim functionis.* Salmero tomi II. tract. 18. *Post resurrectionis suae veritatem confirmatam, suam illis functionem, & officium iniungit, quasi diceret: Ego perfunctus legatione mea, redeo ad Patrem meum, à quo missus sum in mundum, ita & ego mitto vos, vt legatione Euangelica perfungamini.*

III. Minor autem probatur. Primum, quia Christus coram Pilato, negauit suum regnum esse de hoc mundo, qua de re disputatum capite quinto. Secundò, quia idem agnouit Pilato datam supernè potestatem in se, itaque passus est sub eo, quo ostendit se magistratum non esse, multo minus imperare magistratibus, sed esse in subditorum ordine, quorum non bona tantum, sed etiam vita est in magistratum potestate. Tertio, quia Ioannis sexto, quum nosset futurum, vt venient Iudaei, seque abreptum facerent regem, secessit in montem solus. Quarto, quia Lucae duodecimo, fratribus eum consulentibus de heriscunda hereditate, *Quis, inquit, me vobis iudicem aut partitorem praefecit?* Quintò, quia Matthaei 8. *Vulpes iustria habens, & volucres caelinas: Filius autem hominis, non habet vbi caput reclinat.*

IV. Pighius c. 3. libri 5. Hierarchiae Ecclesiasticae, concedit minorem. Nam, quis, inquit, hoc nunquam Christianus affirmavit, quod nemo ignorat & verbo & opere negasse Christum? Neq; enim venit, vt esset praeses prouincia, proconsul, prator, Rex, Imperator, aut vt eiusmodi aliquem magistratum inter homines gereret. Poteramus ergo, inquam, supercedere minoris probatione, quam nobis tam liberaliter Pighius concedit contra Canonistas, à quibus fuit vt argumentorum extorquenda.

V. Vt tamen argumentum eludat, primum maiorem videtur negare, *Quid deinde? inquit. Non venit Christus vt hic inter nos huius seculi more esset Praetor, Proconsul, Rex, Imperator, ergo discipulis suis omnibus interdixit huiusmodi magistratum officia? Et ad finem capitis. Per hoc tamen, constituto iam suo regno, noluit suis in eo Vicariis, Ecclesiastica Hierarchia praefectis interdici auctoritatem praecipendi Ecclesiae filiis, si qui ob diuidendam aut hereditatem, aut quamcumq; rem aliam inter se dissiderent, & turbarent pacem Ecclesiasticam, vt suo iudicio ad rationem iustitiae controuersiam inter se componerent, praesertim quando nullam supra se potestatem civilem recognoscerent. Quasi diceret: Christus, etsi nullam habuerit auctoritatem secularem, tamen non inhiuisset omnibus discipulis, vt vllam haberent. Secundò, Regnum spirituale fuisse Petro traditum: & in illud voluisse Christum introduci etiam mundi principatus, & magistratus, eorumq; officia ordinari ac dirigi ad illius regni bonum: ipsiq; adeo subesse pastori ac praefidi, etiq; omnes sine exceptione obedire.*

VI. At ego contra primum: discipulos Christi dico esse omnes fideles cuiuscumq; conditionis: & de his nostra nunc nulla quaestio est. Nam scimus nihil esse absurdum, quominus aliqui ex his sint magistratus seculares, vt Constantinus, Valentinianus, Theodosius, Carolus Magnus, alij. Sed de iis quaeritur discipulis, quos Ecclesiae Christus voluit praeficere: & quidem ita praeficere, vt non praesentent, nisi suo nomine, id est, tanquam vicarij, qui potestatem



testatem nullam haberent nisi a se: De his ergo in argumento agitur. De his si non agit Pighius, nugatur strenue.

VII. In secundo rursus nugæ. Traditur Petro regnum spirituale. Fateor quia Petrus fuit Apostolus, & Apostolis omnibus id traditum. In id regnum introducendi erant reges: fateor hoc quoque, sed qui alij essent ab Apostolis, ab Episcopis: non enim Constantinus fuit Melchisedech, nō Liberius Constantinus. Et hoc ad thesin nostram pertinet; illud non ite. His regibus obediendum est pastori ac p̄sidi. Nullus negat: sed & factotibus, & lutoribus, & cerdonibus eidem est obediendum pastori, nec tamen hic pastor, aut cerdo, aut furor, aut factor. Ita nec rex quidem.

VIII. Hactenus de argumento. Sed postea etiam arrodit minoris probationes. In secunda, negat Pilatū vllam habuisse aut in Iudæā aut in Christum ordinariam, & legitimam iurisdictionis auctoritatem. In Iudæā quidē: quia non nisi ex commissione Cæsaris. At Cæsari nulla auctoritas nisi iniusta: quia iniuste parta, tum in Romanum Imperium, quia iniusto bello: tum in Iudæam: quia dissidentibus Aristobulo, & Mircano, Pompeius contra ius, fas, & publicam fidem, Iudæam Romanis subiecit. In Christum: quia hic vere Deus & homo, Rex sit regum, & Dominus dominantium.

IX. Atqui primo nihil interest quo iure aut vnde Pilatus auctoritatem habuerit, non enim inde argumentum ducitur, dummodo nullam Christus habuerit secularem, quod assumptio ponit. Itaq; mera est a πικρῶ, dum expatiatur Pighius in Imperatorum Romanorum, aut etiam populi scelera, quibus sibi tantam auctoritatem compararunt: quo nihil opus est, nec enim astruit aliquem fuisse Christo gladium secularem: quod si non facit, nihil facit. Deinde habet Bozius quod conqueratur de Pighio, nam quantum ille in afferenda Romani Imperij iustitia laboravit, tantum iste in eius iniustitia traducenda. Et quidē vide ingenium: vterq; enim, vt ne Pontifici suo gladius eripiatur. Vt merito mirentur viri iudicioſi, quomodo tam nō variis, sed contrariis atq; oppositis viis in eundem finem peruenire possint Denique, quid tū, si a malis & iniustis principiis ea auctoritas fuit? An propterea falsō Christus dixit, eam esse eū? An propterea perperam docuit Cæsari censum persoluendum? An vero nulla potestas ab initio iniusta, potest postea iusta esse? Hoc vero si est, tum sane aut nulla, aut paucissima regna erunt iusta.

X. Quod ad Christum attinet, hunc vero non fuisse sub Pilato, temere dicitur, ipso contra Christo testate, habere illum in se iεξουσιαν αυθουσιαν. Fateor esse verum Deum: sed eundem contendo esse vere hominem. Concedo esse Dominum dominantium, sed & factum in forma serui, quis ausit negare? Itaque, etsi longe supra Pilatum fuerit illa ratio, tamen hac fuit sub Pilato. Et quidem hoc a se ipso Pighius discere potuit: Hac enim totidem verba ille scripsit hoc ipso capite. Pastori omnes sine exceptione, magistratus, Reges, & Imperatores, obedire præcipit Christus: eos tamen qui sui illius regni vellet esse participes, aut eidem vltro se subieciſſent. Vltro enim & spontaneos tantum seruos admittit Christus. Hæc ille, quorū quæ vis sit aduerte. Nam Dominus dominantium Christus esse non potest temporaliter, alioquin etiam nolentes, & inuitos seruos haberet, nam id est de natura temporalis potestatis, vt ipsa testatur experientia. Quod si nullos habet nisi spontaneos: Ergo non potest esse Dominus dominantium, seculari potestate, de qua nunc quæritur: sed tantum spirituali. Hæc autem non concludit Dominum nostrum non fuisse sub Pilato temporaliter.

XI. In tertia confirmatione: fugisse Christum Iudæos volentes se regem constituere, negat mirandum esse: cum peragendo, ad quod vnum venerat, humanæ redemptionis mysterio non congrueret. At nos non quærimus vtrum sit mirum, necne: sed vtrum verum. Et si verum: tum nobis id sufficit: abunde enim docet in Christo nullam fuisse potestatem temporalem: quam ille tam curiose refugerit.

XII. De Iesu negante se iudicem constitutum respondet, primò, eum significare se non venisse, vt ciuiles lites dirimeret: sed vt sua obedientia genus humanum redimeret. Secundò, nō potuisse Christum illam sibi præcipiendi auctoritatem vsurpare super eos, qui ad suum regnum nondum pertinebant.

XIII. Contra. Ergo ex vtroq; responso constat Christum, quandiu vixit in terris, nullam vsum esse auctoritate temporalis: itaque non impugnatur argumentum. Et quidem in primo etiam ratio necessaria est, quæ concludat non habuisse. Si enim non venit Christus vt lites dirimeret ciuiles: Ergo ne auctoritatem quidem habere voluit dirimendi: nisi fortè tam simus blasphemii, vt dicamus frustra eum aliquid habuisse, & præter officium suum, vocationisque limites. In secundo; cur non poterat vsurpare vltro sibi delatum munus? Non enim ipse ingerebat seipsum. At non erant ei subditi. Quomodo inquam? An ratione regni spiritualis: at qui de isto non agimus: & Papæ dominationem exercent etiam in eos, qui non sunt de hoc regno: vt sunt Iudæi. An ratione temporalis? Ergo nullum Christo ius est proprium: sed tantum precarium: quod longè abest a natura dominij temporalis.

XIV. Propositæ rationi alia ratio similis est, & affinis. Quæcunque auctoritas Episcoporum est in Ecclesia: ea fuit & Apostolorum, atq; Apostolicorum virorum. At horum nulla fuit auctoritas secularis. Ergo neq; illorum. Maior perspicua. Nam & omnes Episcopi dicuntur Apostolorum successores: & nominatim Romanus, sese Petri & Pauli iactat. Quod si est, tum in eorum iura oportet successisse. Ac proinde ex Apostolicæ auctoritatis finibus, optimè definiatur & omnium Episcoporum, & nominatim Romani auctoritas.

XV. Minor probatur: Matthæi 20. Lucæ 22. Marci 10. Cum enim contentio quædam ambitiosa inter discipulos esset orta: tum Iesus, eis ad se vocatis, Scitis, inquit principes gentium in eas dominari: & qui magni sunt licentia vti in eas. Verum non ita erit inter vos. Sed quicumq; voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister: & quicumq; voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Sicut filius hominis non venit vt sibi ministraretur: sed vt ministraret, daretq; animam suam in redemptionis pretium pro multis. Similis locus Petri c. 5. prioris. Presbyteros qui inter vos sunt, precor ego vna presbyter: pascite Dei gregem qui penes vos est: curam illius gerentes, non coacte, sed libenter: neq; vt dominantes cleris: sed vt qui sitis exemplaria gregis. Res est manifesta. Primum prohibentur Episcopi dominari gregi: secundò, dominari vt reges suis populis. Atqui temporalis illa potestas de qua agitur, nihil est, si non est dominatio. Ergo hæc dominatio interdicitur.

XVI. Videtur Pighius minorem negare. Nam de loco Matthæi respondet, hoc Christi dictum pertinere non ad solos Ecclesiasticos: sed ad omnes

Christianos. Nec tamen noluisse Christum nullos esse inter nos, Reges, Imperatores, Principes. Quid ergo? Nempe principatus, sicut à Christiano accipi inter Christianos geri debet, onus & officium debet describi. Non enim debere eum qui p̄est, siue ciuilitate & politice, siue in Ecclesiastica Hierarchia, p̄esse sibi: sed solis subditis: non ad suum commodum, suam gloriam, libidinem, ostentationem: sed ad solam vtilitatem eorum, quibus p̄est, ad solius Dei & Christi gloriam & honorem.

XVII. At ego dico hoc dictum Christi pertinere ad solos Ecclesiasticos: id est, agere de solo munere eorum qui p̄sunt Ecclesiæ: idq; alienum facere ab auctoritate principum secularium. Ratio à contextus serie. Nam ad eos pertinet responsum, qui contendebant de primatu in regno Christi: quod illi prorsus imaginabantur simile regni huius mundi: ideoque & in eo primatum haud aliter. Quare Dominus etudiens eos, docet quantopere alienarentur, cum tam dissimilia sic compararent. Maldonatus Monet non debere Apostolos, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocati sunt, Gentilium principum ambitionem, & tyrannidem imitari. Caietanus, Ordinatus est principatus, & maioritatem in Ecclesia sua: desiniendo & statuendo, non sic erit inter vos, principatus vester non erit ad dominandum, & præcipiendum, & cogendum. Itaque, concedo non noluisse Christum aliquos esse in Christianis, reges: sed nego voluisse p̄fectos Ecclesiæ esse reges, id est, eodem dominari modo ac solent reges.

XVIII. Non debere quemquam sibi p̄esse, sed populis, concedo: at nego Christum hac de re loquutum: sed de dominatione temporalis: vt secus sit: Reges dominantur gentibus temporaliter, at vos minimè. Probatur facile ex oppositione. Illi, inquit, κυβερνεῖτε ζῶντας, & ἡγεῖσθε ζῶντας. at vos oportet esse ὑποταγῆς, & ὁμολογίας. Obserua: Non enim de regibus dictum, esse ministros, esse seruos, quod etiam nusquam reperietur, sed de Apostolis. Et vicissim non dictum de Apostolis τὸ κυβερνεῖν ζῶντας, τὸ ἡγεῖν ζῶντας. sed de regibus. Præterea, ita opponuntur sua natura τὸ κυβερνεῖν ζῶντας, & τὸ ὑποταγεῖν: vt tota diametro distent, itaq; modificari non possunt ita, vt in vnum idemque conueniant. Non enim tantum, qui iniuste: sed ne is quidem qui iuste dominatur, seruus est, similiter qui seruus est, non tantum non iniuste: sed ne iusto quidem dominari potest. Quare omnino necesse est concludamus, Apostolis, ideoque omnibus Ecclesiæ propositis, interdiciam dominationem.

CAP. XVII.

Omnem animam v̄s iεξουσιαι subijci.

I. Paulus 13. ad Romanos. Omnis anima potestatibus sup̄eminentibus subiecta esto, non enim est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinata. Itaq; qui quis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi condemnationem auferent. Nam magistratus ei: ἁρπαγῆς non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non merere potestatem? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis. Dei enim minister est, tuus boni. Quod si feceris quod malum est fecerit. Quapropter necesse est subijci, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Propter hoc enim etiam tributa soluitis, si quidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Manifestum argumentum. Si omnis anima subiecta esse debet magistratibus: ergo & Episcopi: ergo & Pontifex Romanus. Paulo Petrus συμφορεῖ, prioris c. 2. Subiecti estote cuius humane potestatis, ordinationi, propter Dominum, sive Regi, vt qui supereminet, siue p̄sidiis, vt qui per eum mittantur, tum ad vltionem malefactorum, tum ad laudem rectè agentium. Nam similem esse hunc illi locum, ipsa penè verba clamant.

II. Pighius c. 7. libri 5. Hierarchiæ: & Bellarminus c. 3. contra Barclaium, negant consequentiam. Ratio negandi, prima: quia ex lege Euangelica, necesse est membra obedire capiti, Reges autem sunt membra: Pontifex caput. Secunda, quia sapientissimi & religiosi principes, non solum sacrosanctis magistratibus: sed etiam omnibus sacrorum ministris, omnibus denique qui se Christi seruitio specialius addixerunt, ac deuouerunt, exemptionem ab auctoritate, immunitatem ab oneribus ciuilibus constituerunt. Etiam Ethnici, velut naturali ratione magistra, sacerdotibus suis singularem detulerunt honorem, & reuerentiam, ciuiliu onerum vacationem, ac immunitatem, & præterea annonam ex publico. Hæc Pighius.

III. De loco Pauli sic docent: non de ciuilibus tantum magistratibus potestatibusque loqui, sed in vniuersum de omnibus, vt vnus quilibet homo, quicumque tandem is fuerit, seu Apostolus, seu Propheta, seu Episcopus, seu Sacerdos, seu Monachus, seu Prætor, seu Consul, seu Rex, aut Imperator, sibi supereminenti potestati obedientiam dependat, si quæ modo illi potestas supereminet.

IV. Ratio huius expositionis: prima apud Pighium: Ipsa, inquit, ratio Apostoli conuincit illum ita vniuersaliter loqui. Quoniam à Deo hæc ita ordinata sunt, cuius ordinationi qui resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt. Altera apud eundem, & Bellarminum, quia alibi docet Paulus filios parentibus obedire, vxores viris, seruos dominis, populum p̄positis Ecclesiasticis. Tertia apud Bellarminum, quia Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, ita exponunt de potestate in genere, & Anselmus de Potestate Ecclesiastica, & temporalis, vt & Bernardus Epist. 42. & 183.

V. Sed consequentia nimis est manifesta, quam vt possit ab vlla sana mente negari. Aut enim negandum, omnem animam subijci debere magistratibus, id est, Paulum esse verè loquutum, aut negandum Episcopos, & Pontifices esse in animabus. At hoc non potest. Nam omnis anima, id est, omnis homo, testibus, Lyrano, Thoma, Caietano, Gagnæo, Salmcrono, omnibus interpretibus. Et dicendo omnis, ait Caietanus, neminem excepisse. dicitur (verba Chrysostomi) ὅτι πᾶσι τῶντι Δεσποτῆται, καὶ ἡγεῖσται, καὶ ὑποταγῆς εἰς τὴν βίολογίαν μόνον: οὐκ ἀποποιεῖται αὐτὸ τὸ δὲ ἀν ἐπισησῆναι, ἕτερον δὲ τὸν πᾶσι ὑποταγῆς εἰς τὴν βίολογίαν μόνον, καὶ ἀποποιεῖται αὐτὸ τὸ δὲ ἀν ἐπισησῆναι, καὶ ἕτερον δὲ τὸν πᾶσι ὑποταγῆς εἰς τὴν βίολογίαν μόνον. Ostendens ista se imperare etiam sacerdotibus, & monachis, non tantum secularibus, quod & ab exordio declarauit, cum dixit, omnis anima, potestatibus eminentibus subiecta esto, quoniam Apostolus sic, quoniam Euangelista, quoniam Propheta, aut quicumq; alius.

VI. Ad rationem priorem negatæ consequentiæ, respondeo: distinguendum corpus politicum, & corpore Ecclesiastico. Principes esse



